vult HÆC *sub* LUCE *videri*.

W. Marshall Sculpsit.

Gustavus Adolphus.

INSTITUTIO, EPITHALAMIUM, & MILITIA VIRI, ac MILITIS Christiani.

SIVE,

Aliquot S. Scripturarum partium in hos usus inservientium LATINA PARAPHRASIS.

Per R. H. *Cantabrigiensem.*

Per tenerum hoc Pueri, *rasúmque Poema figurat,*
Torquet ab obscœnis Juvenilem *cantibus aurem,*
Móxque viri *pectus præceptis firmat amicis,*
Instruit Exemplis (Lector)
Nè fortè pudori
Sit mihi musa lyræ solers, & Cantor Apollo.
Horat. de Art. Poet.

LONDINI,
Excudebat *T. R.* & *E. M.* impensis Authoris. M. DC. XLV.

BRITISH MUSEUM

METRICA VERSIO
Novem priorum Capitum
PROVERBIORUM
SOLOMONIS.

Eccles. 12.

Vr. 9. *Quod reliquum est: quia fuit Ecclesiastes sapiens, atque insuper docuit scientiam Populum, & perpendit, & investigavit, itémque concinnavit Parabolas multas:*

10. *Quia inquam studuit Ecclesiastes invenire verba delectabilia, & scripta recta, verbáque vera, &c.*

11. *Quod inquam reliquum est; ex his (fili mi) admonitus esto: nam faciendi libros multos nullus est finis, & lectio multa fatigationi est carni:*

12. *Summa rei est, his omnibus auditis:* Deum time, & præcepta ejus observa, quia hoc est Totum hominis.


ΣΟΛΟΜΩΝ
ΥΜΜΕΤΡΟΣ

CANDIDO LECTORI.

INter motus istos Civicos cùm per Pandemicas Rerum tam sacrarum, quàm politicarum perturbationes, vix aut cita Pax sperari, aut Bellum hoc pertinax ab imparatioribus æquanimiter subiri poterit, erupit mihi hæc Ejulatio, —— Ebeu cicatricum & sceleris piget tædétque adeo funestissimæ militiæ, & cœdium promiscuarum, in quibus nulli hominum generi aut ordini parcitur: Dabitis ergo mihi veniam, Fortissimæ animæ (quarum Virtuti universa sortis terribilia subjacent) molliculo & tenerioribus studiis assueto, si furentem nunc Martem stratagemate aliquo (Apollinis quasi Testudine, aut Mercurii Auletis tibia) mitigare, & consopire tentaverim. Huic obeundo muneri Musas mihi advocavi; non illas profanas, lascivas, & Scœnicas meretriculas, sed has Templi Domini adituas, sacrorum antistites, & Cœlestium Oraculorum Dispensatrices, quarum gratiâ, & subsidio, si non dimissionem ab his calamitatibus, at pacatiorem certè Spiritum ad omnia quæ acciderint ferenda, comparare mihi posse, confido: Si (Deo quidem auspicante) ferocientes Animi nostri tumultus (tanquam intestinas Indigenarum anguium iras) Divinâ Psalmodiâ efficaciter ἐπᾴδειν (quod spero) mihi obtigerit: Quocirca ut Pestibus hisce medicinam conficerem in Sacro-sancti Pharmacopolii salutiferas officinas me è vestigio contuli, ubi Numen promptissimum consulens,

non tam Ductu meo, quàm Ipſius manuductione in has Entheorum Foliorum Sortes incidi, & illis tenaciùs inhæſi: utpote in quibus crebris Cogitationibus verſanti, & Summa Dei ſapientia ad rudiuſculos ſuos informandos, & ingens deſiderium ad Deſidioſos in ſimiles ardores excitandos, denique fortior quidam Amor & Diſciplina ad probándam, & evocandam animorum Ipſorum *conſtantiam & fortitudinem eminenter eluxerant: Hæcque omnia Poetico dicendi genere tractata, & Coloribus, Figuris, Numeris, Modulationibus, & univerſâ iſtiuſmodi ſupellectile uſque adeo inſignita, ut puræ putæ Poeſeos ſuavitatem, & accurationem præ ſe ferant; Nè fortè quiſquam è Cenſorum Collegio, ſupercilioſus Muſo-maſtix, me ad has ſacras Diatribas Poeticam attuliſſe, & non potiùs ab hac architectonica Idea traduxiſſe, calumnietur. Rectiùs fortaſſe, aut ſaltem propiùs ad Rem ipſam & veritatem, inſurgat mihi aliquis obloquutor, qui me ſacrilegæ arrogantiæ inſimulet, quod ego (ſcilicet barbarus & Idiotes) ad Divinitùs inſtincta Eloquia meo impetu acceſſerim Interpres, & Divinæ Sapientiæ meam inſipientiam, & temeritatem immiſcuerim:* —Non me Rebus, ſed Mihi res ſummittere conans. *At Tu, Quiſquis es Adverſarius, reprime te parumper, &* Dicam ampliato; *audi prius ingenuam Defenſionem, in qua (hactenus) confitentem habes reum, me ſcilicet* (ὁμολόγως) *impari Congreſſu in hac ardua Provincia verſatum: At quiſnam verò hominum ad hanc idoneus eſt? Litem cum aliis communem mihi privatim intentas, in qua objectam mihi Inſcitiam agnoſco, Irreligionem inficior. Non enim eò Dementiæ prolapſus ſum, ut vel Lampade Solem, aut fictitio aliquo ſonitu Tonitrua imitari, nedum Dei vocem, & conceptus, aut mente capi, aut Gloſſemate humano pro Dignitate exprimi poſſe præſumpſerim: Ob hujuſmodi facinus, jam olim in Fabulæ veritate morali,*

Vidi

Vidi crudeles dantem Salmonea pœnas: *Veruntamen Idem Egomet (asseverator strenuus) nec Solem in profluenti (suo opprobrio) nec Deum aut res Divinas in discursu humano perstringi, aut eloquio* aliis *quadantenus repræsentari, haud cunctanter affirmaverim; imò necessariò ad modulum nostrum contemplamur, non ad immensitatem suam: Sit inaccessibilis suâ sublimitate* Altissimus; *jubemur tamen Scientiam Dei pro captu nostro studiosissimè prosequi, ut in ea quotidie augescamus: Quocirca hanc ornavi* Spartam *ad exercitationem, non ad æmulationem, & in Adminiculum infirmitatis meæ, & mei similium, non in detrimentum Divinæ Majestatis: Cui, siquid in hac Interpretatione Luminis & Virtutis emineat, in solidum acceptum fero; at Defectus nostri in Ipsum non transeunt. Splendorem Luna a Sole accipit, non illi suas impertitur maculas: Quod si quis à consuetudine cum Animorum nostrorum caligine Divinas Coruscationes labem trahere opinetur, fateatur & idem Mataologus, Lunæ contagione,* Contractos Phœbi in malas irrepere nævos: *Sed pergis ultrà impugnare Secutor, & me à Lineis quandoque (ut rere) evagari deprehendens, Censoriâ acerbitate, à Scripturæ veritate discessionem fecisse incusas. Certè quidem studui evidentiæ & perspicuitati sensûs, qui sicubi obscurus mihi, aut involutus videbatur, non* Verbum verbo *reddidi, sed libertate paraphrasticâ illustravi, enucleavi, interdum & supplevi, in quibus circumstantiis si labi alicubi aut decipi mihi acciderit: At at (utcunque) Deo nostro incorruptibili inviolabilis sua constabit puritas & veracitas: In me Errata hujus Versionis omnia recident, recidántque precor, nisi fortè Typographi incuriâ, cumulo nostro aliena accesserint, quæ oculatus Lector à meis secernet, & ipsi imputabit. Quod superest oranda est acrium Criticorum facilitas & indulgentia, si quandoque in his Asceticis* dormitare *mihi*

 contigerit,

contigerit, usque adeo ut non æquabili tenore processerint, utpote quæ per intervalla, pro varia Genii nostri habitudine, distinctis vicibus effusa, in unum Poemation, dispari Minervâ, coaluerint : Verùm enimvero (quicquid ab hoc hominum genere subeundum fuerit, at ibitis (exercitatiunculæ nostræ) in aures, & ora virorum, multiplicium Judiciorum Sermonúmque aleam experturæ : Vos interim mementote Conscientiæ velificare, non Famæ ; siquidem satis magnificum vobis fuerit operæpretium si vel pauculis (cum bono Deo) ingenuis placere simul & prodesse poteritis : Quâ spe, ut Arcadici illi (ὅι πάνυ) Pastores, Animorum suorum effigies, & rudiusculæ sapientiæ ἐνδόσεις Arborum corticibus solebant incidere, cum hoc epigrammate ——Cantabitis Arcades olim Montibus hæc vestris :—— Ita ego hunc qualemcunque Animi nostri benevoli Characterа vestris Foliolis (plus quàm Sybillinæ Arbores) inscribere decrevi, ut si fortè evehentibus Favoniis publicitùs illa aliquando increbrescant, & Ipse (haud infami notâ) agnoscar vixisse, & benigna ac candida Posteritas has è divino Fonte haustas Cantiunculas, tanquam Aromatitis pocula scintillantia, (in psallendi materiam, & irritamentum, à me utcunque subministrata) spiritualis hilaritatis Enchiridion in procinctu haberet, & manibus suis circumgestare & conterere non dedignetur.

De

De mirifica PIETATIS efficacia EXERCITATIO,

Sacris, quæ ſequuntur, Diatribis viam præparans.

——— *Pietas* vera *eſt atque* unica *Virtus.*

CUm pius Æneas Siculis peregrinus in oris,
(Vertice quâ æthereo communi Fana Parenti
Suſtulerat fraternus Erix) ad *Sacra* paratus
Ivit adoratis imbutum altaria Donis
Idaliæ genetrici, & molli ritè columbâ;
Cætera compulerat, ſed *amabilis* abfuit Arbos.
Conſilio ſed enim Veterum, curáque ſagaci
E regione Domi juxta pomæria, Lucus
Relligione ſacer ſeſe extulit; unde Deorum
Quiſque *ſuas* frondes, proprióſque decentia ritus
Robora proſpectaret *ovans*; ſed plurima Myrtus
Creverat, ingenióque ſoli, genióque Sacelli
Privato, hinc oculis ſibi deſignavit acutis
Exortem è numero Plantam, cui brachia ſacro
Apta miniſterio, ingentémque *propagine* truncum
Nudavit, ramis Aras ut obumbret amatis,

Frondibus

Frondibus abſciſſis, ſed de penetrale reducto,
Hoc Sermone Ducem affata eſt vox intima ſanctum.

Perge Heros invicte; pio ne parce labori,
Stringe comas virides, & noſtros dejice ramos;
Denſa magis Sylvæ illæſâ radice reciſæ
Succreſcet ſoboles, plagíſque feracior iſtis.
Evehar, eque truci ducam incrementa bipenni,
Haud ſterilis deinceps truncus, nec inutile lignum:
Imò ego tonſa tuæ fuero Pietatis Imago,
Cui nullæ ærumnæ, nec iniquæ verbera ſortis,
Junoníſve odium maleſanis obſtitit auſis,
Quo minus Invidiâ fas ſublimior omni,
Et tua mox Virtus, ſalvâ *Pietate*, reſurgat
Acrior, & tenebris clareſcat adorea pulſis.
Macte animis! jam, jam fœlicia ſtamina Parcæ
Evolvent Fuſis, ſortíſque tyrannide ſevâ
Pax aſſerta aderit, victricíque inclyta Lauru
Tempora, & intextæ foliis præcinget olivæ.
O nimium dilecte! favent cui integra Deorum
Concilia, & poſitis Saturnia conſulit iris:
Militiam euge manens quam grata ſtipendia veſtram!
En Latium, & placidæ ſedes, tutíque receptus,
Fœdera, regaléſque thori, Dominíque nepotes
Rerum humanarum, & nullis Regionibus, anniſve
Imperii clauſi fines, atque æmula cœlo
Majeſtas, Fatis mox eluctantibus orta,
Provenient currente rotâ revolubili ſæva.

Tu tantùm nè cede malis; ſed contrahe quicquid
Seu robor crudum valeat, ſeu vivida Virtus;
Haud par deſtituet magnos *Fortuna* labores.

Ecce

Ecce ego vaticinans *Harpijæ* horrenda canenti
Fata, (augur melior) lætiſſima fata repono,
Neve meis foliis tua ſunt magé certa Sybillæ.

Hoc divina arbos (Veneris cortina) litanti
Obtulit auſpicium, fati lenimen acerbi
Regi Trojugenæ, pacis pignúſque futuræ,
Omine quo arrectus, placido hæc Pius edidit ore:

O Dea quæ ſtudio noſtris erroribus almo
Proſpicis, & miſeri Nati, & *Mortalia* paſſi
Immortalis agis curam, Quas *optima* grates,
Quæ tuus Æneas pro *factis* verba rependet!
Ergo Hominum Curæne animis cœleſtibus iſtæ?

At vos O Socii, terrâ, pelagóque labores
Qui mecum exantlaſtis, ait, Melioris, ut æquum eſt,
Participes eſtote ſpei: Nunc *ſentio* noſtra
Diis *Pietas* grata eſt; quem non infracta malignis
Pectora, non unquam Rebúſve elata ſecundis,
Non trepida ambiguis, Fati eripuere procellis,
Non vitæ prudens animus, caſúſque perilis
Declinare graves, nec *Honeſti* conſcia virtus
Nunc *Sacra Relligio, Cor & pietate refiſtum*
Eripiet, ſolidâque iterum me pace locabit.
Ergo agite Illiadæ, Túque ô cui maxima Nate
Excubat Aſcani trepidantis cura parentis,
Diſce puer Virtutem ex *Me*, ſanctúmque timorem
Numinis, ex *aliis* Fortunam. Hæc fatus, amænum
Suſtulit exultans caput, haud ſpe fultus inani.

Hac quid ago *effigie*? recluſam detege mentem

Uranie.

Vranie, in *medium* communem & profer in uſum,
Multis ſi fortè exemplar præluceat *Unum*.
Lucifugæ gentes! variis quas *irrita* curis
Exercent opera, & vivendi neſcius error;
Quin ſapite ô, Finémque animis defigite rectum;
In tenui ſcopus; & ſi deſint tenvia veri
Principia, eluſas fallet ſua meta ſagittas.

En bona pars Hominum vel toto erratica cœlo
Spicula diſpergit, laxíſque vagatur habenis,
Et temerè, ſine judicióque *ex tempore* vivit.
Maxima, non dubio, ſed pravo vivere talo
Deſtinat, anguſto dirimentes limite (*iniquis
Contiguum*) fas, atque nefas; *Sibi* fraude nocivâ
Pro Virtute animi labes dum ſponte ſequatur.
Párſque adeo (vitiis graſſantibus æquior obſtat
Cui genius, bene natâ & creſcunt indole mores,
Inſita quos Ratio, & Doctrina vicaria cultu
Propulit in meliùs) ſe ſedula promovet ultrà
Nequitiæ ſordes, torpentis & otia vitæ,
Dotibus atque animi, & pulchris virtutibus inſtat:
Acri judicio pollere, recondere corde
Conſilii venam, miſeríſque expromere, motus
Reprimere infeſtos ſatagit; mala gaudia mentis
Spéſque leves, vanóſque metus, nimióſque dolores,
Et quocunque Homines peccant ratione vagantes;
Cujus amant ſtabiles jurare in verba Magiſtræ,
Nec citrà cohibere, nec ultrà extendere fines
Conſiliorum, operúmque, ſed *illo* ſiſtere puncto.

Sed quorſum inſumptas hæc per diſpendia curas?
Qui *nudam* quærit Virtutem, quæritat umbram
Invalidam,

Invalidam, & ſtudium conſpecta in imagine ludit:
Illa quidem vultus oſtentat amabilis almos,
Staturámque parem, motus & ad omnia factos
Conſimiles Veris: ſed caſſum & futile ſpectrum,
Non *ſua*, ſed ſimulachra *alieni* venditat oris,
Nec cum hominum nox atra colores abſtulit uſquam eſt.
Qualis ubi Euridicem morſu Serpentis ademptam
Cantibus, & dulci mercede receperat Orpheus,
Aut viſus retuliſſe, uxorem ponè ſequutam,
(Namque ea Lex pacta eſt) oculis dum cernere fidis
Coram jura vetant, tacito phantaſmate damnum
Saltem aliquâ eludens, ægros lenibat amores:
Donec inexpletùm emarcens, ſub Fine viarum
Metas juxta ipſas ſuperæ regionis, & Orci,
Deperiens ſponſam, dum viſu captat amatam,
Infernum reſpexit, inops *votíque animíque*,
Túncque ſuam Euridicen, & *ſe* male perdidit amens.

Quiſnam Hominum eſt qui poſthabitis *languoribus* iſtis
Et ſapit, & certæ ſtudet impiger uſque Saluti,
Peſtibus haud curâ indulgens maleſanus inani,
Sed *Stirpem* morborum, ipſâ cum *Matre*, recidens:
Nec virtute *ſuâ* medicinam expromere ſperans,
Munere Divino expectat, *Pietate* miniſtrâ?
Egregius ſolet hic, rarúſque occurrere *Civis*.
Non etenim *hæc* robor reficit *Panacæa* caducum,
Semianimémve fovet vitam, Mortíque propinquam,
Juge ſed incolumes animas, & juge valentes,
Quæque mori nequeant ſolâ hæc curatio præſtat.
Ergo alii vires ſibi, virtutéſque reponant
Arbitrii, elatâ nimis ambitione petentes
Luce ſuâ fulgere, *ſuis* ſpectarier *armis*

Errorum

Errorum nebulâ, & vitiorum fæce redemptos ;
Excutiant meliùs latitantia ſemina Veri,
Haud equidem invideo ; & cognato fomite paſcant;
Et quæ ſipario oppoſito Natura reduxit,
Rimanti luſtrent oculo, Metáſque tenebris
Olim diſpoſitas illatâ luce refigant.
Quinetiam longos & circumflectere curſus
Aſſueſcant, itus & in orbem cogere rectos,
Secum habitent, quæ ſint animæ ornamenta *capacis*
Acriter obſervent, deceátne æquata ſupellex
Tantam habitatricem ; vel ſi ſtipata ſubacto
Fortè ſatellitio, ſociiſve incedat amænis :
Circumagat viſus, & *ſe* mens alma Decoris
Inſpectrix, teſtíſque ſui miretur amictam
Præpetis ingenii per *aperta* volantibus alis,
Moribus ádque unguem factis, prædivite venâ
Eloquii, Genio comi, gravitate remiſtâ,
Juſtitiâ, prudenti animo, conſtante tenore
Propoſiti, modicis affectibus, atque pudore
Virgineo, reliquæ fido cuſtode coronæ ;
Omnibus eniteant, ſin deſit in omnibus *Una*
Religio, heu brevibus marceſſet Laurea fatis.

At quæ dilutâ ſpecie, fucíſque caducis
Gens purgata nites, genuino incocta decore,
Picturâ nè paſce animum Virtutis inani,
Neu leve ſuffragium captans *popularibus* auris
Velifica, & famæ dans lintea credula vanæ,
Sponte ſequuturas laudes depelle ſequendo ;
Aſt humile ingenium, & miti ſibi pectore conſtet
Simplicitas, ullíſque Anima immaculata *pudendis*
Numinis hoſpitium æternum, ſtabilíque dicata

Sponſa

Sponſa jugo, Cui caſta fides, ſervatáque pactæ
Jura pudicitiæ, formas licèt induat omnes,
Blanditiáſque minis alternâ immiſceat arte
Vafra ſuperſtitio, cunctis tamen undique techuis
Se expediat cœleſtis amor, voti reus, *Uni*
Sponſo habilis, Dominíſque haud *opportunus* iniquis,
Uſque idem, conſtánſque ſibi : Nec turgidus inde
Se tumor oſtendat, ſed mens demiſſa, nec altæ
Quicquam laudis egens, *genii ſibi conſcia pravi*,
Quídque agat inſidiis latitans Cacoethes opertis.

Téne voluntatis fucatæ credere fronti
Perfido & Arbitrio ! cœlo pete robora, cœlo
Lumina, cunctorúmque aditum finémque laborum ;
Siſte Deo (facilis) primum expectantia nutum
Pectora, quæ mandata ſequi, juga ferre reductâ
Obſequii ratione velint, vincíque laborent
Morigera, ad ductus proclivia Numinis omnes.
Vota preme *excubiis* pariter, *precibúſque* miniſtris
Æquatis certent operis, perſténtque paratæ
Ad quæcunque incæpta ſuis ſtationibus ambæ ;
Utraque cruda phalanx, ſed major viribus *iſta*
Diſſipat infeſtas validâ magis impete turmas.
Ergo tuos ſupplex defectus vince precando,
Sanos poſce animos, radios quibus Ipſe ſerenos
Affundat propriâ de fronte *Dieſpiter*, his ut
Indiciis poteris de craſſo erroris acervo
Eruere abſtruſi ſubtilia *Munia* Veri.
Illa tibi illecebras prætentas, atque latentis
Integumenta Doli, blandæque libidinis artes,
Abdita & inſidiis ſtratagemata Luce revincent
Indice, & expedient per *acuta*, & *tenvia* fraudis.

Illa & curriculi metãmque viãmque beati
Oſtendent, doctâ & facient te mente ſagacem;
Qua placâſſe Deum, Sanctis placuiſſe, prophano
Diſplicuiſſe gregi; dubios firmâſſe, ſaluti
Conſuluiſſe tuæ gaudebis jugiter, omnes
Et recolens vitæ flexus, meminiſſe juvabit
Immũnes vitiis teneros, Pietate viriles
Inſtructos tranſiſſe annos, nudæque ſenectæ
Proviſam ſtationem, avidæque Viatica morti:

Quid memorandum æquè Mortalia dona tulerunt,
Irrita quid potuêre modis fallentia miris
Somnia, & aulæis vaneſcens ſcæna remotis?
Ecquid opes, formæque decus, mentémque capacem,
Anne ſubæratas (*heu veſtra Inſignia Gentes*)
Virtutes coner virtuti opponere veræ?
Proh fraudes, peſtéſque animi! quibus utile multis
Sive *malis* caruiſſe, *boniſve* remiſſius uſos
Eſſe *vagis* moderante ſacrâ Pietate fuiſſet:
Virtus *nulla* deeſt, Pietas ſi *ſola* ſuperſit,
Cunctarum una quidem, ſed ad omnia commoda radix,
Cuique aliæ & vitam genuináque germina debent.

Salve ſancta Parens, validæque puerpera prolis,
Ipſa Dei ſoboles: robor pro Dote paternum
Cui ſors divina æternóſque indulſit honores;
Salve iterum cœleſte genus, *Genitoris* Imago;
O clades vitiorum, animæ tutela, ſalutis
Teſſera, amor Sũperûm, Inferni ſed Nominis horror,
Præſidium vivis, defunctis vita ſuperſtes,
Te quibus elogiis celebrem? tibi Nomina mille,
Mille juvandi artes: opibus tu nuda miniſtras

Dulce

Dulce refrigerium, certamine vincis *inermis*,
Mira triumphatrix ſine vi, ſine fomite fotrix,
Auſpice te erubuit tuus expalleſcere miles
Stragibus in mediis, ſpreviſſe pericula *ſolus*
Auſus, & infeſtis laqueum mandâſſe Tyrannis,
Sævitiæ haud curans pompam & ſollennia crudæ;
Nec non præſtigias, blandæ & tectoria ſortis,
Atque gravem laudum, viſcatáque munera prudens
Reſpuis, & quæcunque libido venefica philtra
Miſcuit, ad mortem dulci mellita veneno.
Tu vitæ regis inſtabiles, tu ſicubi *rectâ*
Detorti anfractus, & inextricabilis error
Implicuere vias, evolvis prævia, certo
Tramite deſignans iter, erroréſque retexens,
Conſiliiſque rudes colis, indomitóſque coërces
Imperiis Regina tuis, normâque ſupernâ
Aſſueſcens, hauſtus inſpiras enthea ſacros,
Artificique ſinus fingis virtute ſequaces
Flexanima, obſequium redivivum Numinis indens
Genti immorigeræ, velit ut mandata *ſuprema*
Sancta *Voluntatis* jam ſponte capeſcere, nullis
Terriculis impulſa, vel eſcis capta caducis;
Ingenio ſed ducta *ſuo* inſtinctúque ſuâvi
Cælitus edocta admiſſas effundit habenas
Ardori ingenuo, devotáque conſecrat *Uni*
Corda Deo, leges gaudens didiciſſe paternas,
Dedidiciſſe ſuas, ſceleratæ juráque pulpæ.
Tu veri, rectíque ſagax; tibi currere plantâ
Numen inoffenſâ tribuit, *turpíſque & honeſti*
Acri judicio fines callere diremptos,
Nec non *perſonis*, & convenientia *rebus*

Momenta omnimodis trutinâ perpendere juſtâ.
Tu Numen veneraris, amas & Numine cretos,
Túque bonos laudas, & deteſtaris iniquos,
Firmáſque inſtabiles, ſuccúrris egentibus, ægris
Curam adhibes, præis ambiguis, ad prava vagantes
Conſiliis revocas, accendis recta volentes;
Hoſtibus & facilis, charíſque fidelis amicis,
Contemptrix faſtûs, paupertatíſque quietæ
Miratrix: Sic una tibi *punctum omne* tuliſti,
Et Venus, atque in te nitet omnis Gratia ſolâ
Virtutum variarum. O cœlo deflua *verax*
Pandora, omnigenas *propriâ* quæ pyxide dotes
Ipſa inſtar cunctarum affers, curâque fideli
Depoſitum ſervas, atque integra munera eodem
Faſciculo collecta piis largiris alumnis;
Dos ingens accede, Dei fœcunda propago,
Omnia quæ paris ipſa! tuis cui contigit uti
Subſidiis exactus erit; virtute nec ullâ
Defectus, cunctas longo trahit ordine; *Sanctus*
Mente viget *ſibimet* ſapiens, rerumque peritus
Apprime utilium eſt, ſpei contemplator & altæ;
Sanctus item & patiens, & fortis, & ipſe ſuorum
Votorum irarumque potens, oſorque nefaſti,
Juſtitiæque tenax, aptus quoque rebus agendis,
Quíque animâ inſervit diverſis uſibus unâ,
Præcharúſque Deo, totique perutilis orbi,
Laudes præripiens omnes, decora omnia geſtans,
Virtutum ſpoliis cunctarum exultat opimis,
Et cupidæ auguſtos Divæ famulantur ad axes.

Qualiter è buſto Gangetica pulchrior ales

Cum redit, eximióque alias supereminet ore;
Indigenæ comitantur aves *Pæana* canentes,
Dúmque polo Solem servat Natura coruscum;
Astra solent ignes summæ de fomite lucis
Enutrire suos, pereat sed ab æthere Phœbus;
Sydera nigrescent, & deficiente vel unâ
Phœnice, alituum sparsis exercitus alis
Vanescet vario magnum per inane volatu;
Sospite sic Pietate æquatâ sorte vigebit
Virtutum chorus, & pariter pereunte peribit.

His ego quem monui? tecum est mihi sermo (
Vere calente novo, ac animis juvenante remissis,
Quem (imprudenti ævo, vitæ invalidóque regendæ)
Subdola circumstat fraus, & phanaticus error
Virtutis speciem veræ sub nomine falsam
Incauto obtrudens, suáque in mendacia flectens.

Evigila ô juvenis menti te assuesce sagaci;
Morigerâque tuos monitores excipe fibrâ;
Qui tibi consiliíque inopi, incertóque viarum
(Præcipiti abrepto loca per declivia cursu)
Augustum attollent resupino tramite callem;
Et veri simulachra, ipso secernere vero
Arte salutiferá erudient dein fallere *nudæ*
Monstrabunt virtutis iter, vitámque beatam
Sub sola invenient tibi Relligione repostam.

Det Deus (ô nostrâ secus haud flectendus habenâ
Ille auriga animæ,) tibi suavipotentibus acto
Consiliis, flexúsque vagos & Devia vitæ

Elapſo, ſuperæ diſcas compendia metæ,
Quæ (poſt curriculi primordia dura ſeveri,
Ærumnáſque graves, tetricæque incommoda ſortis)
Accubitus placidos votis oſtendat anhelis,
Et Latio obtectum (brevè) proviſoque receſſu
Aſcitum Divis mox te immortalibus addat,
Et verace *Pii* emeritum cognomine ſignet.

PRO-

PROVERBIORUM SOLOMONIS

Caput primum.

COelitùs inſtinctos ſenſus, traductáque cœlo
Dogmata, quæ Patrio percuſſus Numine pectus
Davidicus ſanguis (Solymæ *auguſtiſſima* ſacræ
Majeſtas) diſcenda ſuis effuderat olim
De Fonte Hebræo, Latio mihi promere verſu
Et numeris vulgare novis, Pietate paternâ
Mens ſimul icta jubet; Face diluceſcere ut iſtâ
Clara repurgatis poterit ſapientia fibris,
(E facie diffuſa Dei) Doctrináque tantæ
Quæ Doti præmiſſa, Animas reſcire ſtupentes
Prudentis ſenſim aſſueſcat Documenta Magiſtræ,
Interiúſque adeò genuinum admittere cultum
Diſcipulos penitùs ſubigat, Normæque ſupernæ
(Quam Jus, Fáſque, libræ & patiens præſcripſerit Æquum)
Conſentire *pares* faciet, quo munere ſolers
Accedet fatuis aſtutia, & inſcia pubes
Experti defecta animo per *acuta* feretur

Judicii, & curas expendet mente ſagaces.

Iſta *rudem* erudient nec tantùm audita, ſed aucto
Prudenti adjicient venæ incrementa perita,
Quâ Sophiæ, Rerúmque ſciens, provectiùs Artes
Se dabit in ſolidas ſtudia ac *Induſtria*, gnarus
Calleat ut demptis adoperta Apothegmata velis
Exuere, & liquidus ſanos excernere ſenſus
Interpres, Artificum eloquii expoſuiſſe Figuras
Scitus, & Ingenio vafras elidere Sphinges.
[*Multiplices dotes! priùs at Fili accipe Summam,*
Deinde ſuo exortos deducam à ſtemmate Ramos.]

Fons Sophies & Origo, Dei eſt Reverentia; *pernox*
Hanc votis, ſtudiiſque preme: At (pars maxima Rerum)
Grex paſſim inſipiens, Sapientûm inſiſtere Calli
Et faſtiditis ſummittere faſcibus (amens)
Cœleſtis cenſuræ odit, Tu (ni ſimul excors
Degere vis) Patris quæ ſit præceptio (Fili)
Percipe, nec charæ genetricis reſpue Legem:
Scilicet illa tuo ſpecioſi auctaria cultûs
Accedent Capiti Diadema, Monileque Collo.

Verùm ô! ſiqua mei te (fors) Dignatio tangat
Conſilii, ſurdam des irriſoribus aurem;
Nec ſi flexanimis te Gens hypocritica palpet
Blanditiis, cupias Cretatæ accedere fraudi;
Si[illegible] ſemel excuſſo attritâ de Fronte rubore
C[illegible]cupet, *Advolita, noſtræ te adjunge Catervæ,*
Cæd[illegible]us invigilemus, inexpletíque cruore
(Sang[illegible]ini-ſuga cohors) Animis, inſontibus Arte
Lucifuga[illegible]nſidiemur, & in Spoliaria ductas

Demus

Demus & exitium impunè : ut molimine nullo
Sarcophagus functos, ita vivos noſtra vorabit
Ingluvies, ſed & incolumes (ſcrobis inſtar) in alvum
Mittemus : ſic divitias hoſtiúmque repertas
Exuvias Domibus magnis cogemus acervis.
Néve dolum timeas, curtæ Segmentáve Prædæ,
In partes ſors æqua cadet, raptíque quibuſvis
Lex communis erit. Fuge calles (Nate) nefaſtos,
Hos comites & habere viæ : veſtigia diro
Tramite (præmonitus) cohibe ; pede namque citato
Ad mala feſtinant, Percuſſoréſque ſceleſtos
Sanguinis atra ſitis facta in crudelia trudit.

Sed quo ſpes vacua ! Erroris genus ! aucupe vano
Rete videns captatur avis ; ſed inanior ipſum
Spes eſt eluſiſſe Deum malefacta tuentem
Excubiáſque viris inſomni lumine agentem ;
Ergo *ſuæ* invigilat cædi, ſibi Gens cata fraudes
Inſidiáſque ſtruit, quicquid voluítque Pericli
Intentâſſe aliis, propriis luet improba pœnis,
Divinas experta vices ; *Trux* ſcilicet omnes
Lucri quos inceſſit Amor, manet Iſte viarum
Exitus, ut queſtus Dominis gravis opprimat ipſos.

Ecce in Propatulo vocem Sapientia tollit,
Sermocinans triviis, circum obſeſſiſque platæis
Denſo humeris populo, portíſque frequentibus, undans
Quâ patet introitus, cuneis quâ plurima raucis
Agmina ſe agglomerant, reboantia Pulpita ſcandens
Oratrix vehemens, Scatebræque ſimillima plenæ,
Verborum ingentes Cataphractis perſonat urbes ;
Uſque ô quo (*ingeminans*) nullâ ratione petitas
Ambiet illecebras ſolidi Gens inſcia Veri,

Quóve Cachinnones damnatos uſque Cachinnos
Diſcupient, ſtolidæque exoſa ſcientia turbæ
Contemptim abjicietur ? at ô ! convertere peccans
Natio, quámque potens mea ſit correptio, factis
Arguito utilitate tuâ : Sic, Incola veſtros
Erudiet renes noſtro Ille efflatus ab ore
Spiritus, atque meas ſic te ſapuiſſe loquelas
Inſtincto donabo ſinu : Sed væ tibi ! totum
Quandoquidem me inſtante Diem averſata vocantem es,
Quandò exoranti protenſâ, atque illice dextrâ
Advortit mihi nemo, ſed hauſtas pectore ſacro
Conſilii ſpreviſtis opes, animóque medendi
Impactam implacidè virgam excepiſtis ; & ingens
Ingruat à cœlo tua cum Formido, Cachinnis
Excipiam, incuſlúmque *Ego* ſubſannabo Tremorem ;
Cum pavor irrumpet putri ut vaſtatio labe
Improviſa tumens, cum turbineaque repentè
Nube vehens aderit Contritio, & intimus horror
Atque coarctatas ſtringens anguſtia fibras
Comprimet (exaudite viri quibus integra mens eſt)
Tunc Oratores blandi me voce laceſſent
Aſſiduâ : reſponſa ferent ſed nulla ; requirent
Mane novo faciem, at nuſquam (ſubducta per ævum)
Inveniar, ſtolidis noſtri quod ſorduit olim
Notitia, nec *Sacrilegis* Reverentia Sancti
Nominis allibuit, Me vociferante ſed iſti
Surdaſtros egere ; & *caſtigante* protervi
Tempſerunt ferulæ ſanantia verbera : juſtas
Ergo vices referens, vitæ de fructibus actæ
Curabo ut comedant, quibus & ſine fine, modóque
Inventis ſtudnêre avidi, (ceu pinguibus offis)
His implebuntur ſatura ad faſtidia menſis ;

Nam

Nam Genus indocile à noſtra deflectio Norma
Devovet exitio *(incautum)* Quin (Quo ſibi ſpondet
Uſque frui, *fœlíxque* Hominum compluribus audit)
Sortis hic ipſe Tenor placidæ, provectáque rerum
Proſperitas, altè elatos graviore Ruinâ
Sternit, *inexpertos* quâ mens Divina gubernet
Humanas ratione vices: Sed quæ mihi promptas
Auriculas adhibens præceptis paret amicis
Obſequioſa cohors, ſecuras incolet ædes
Incolumis, procul atque mali ſenſúve, metúve,
Integram acquiret ſine ſollicitudine Pacem.

Cap. II.

CHare, mihi auſcultans ſermones indole noſtros
Si placida accipias, penitùs ſi accepta ſub imo
Corde premas mandata Puer, ſolérſque ſagaces
Flectendo auriculas Diæ præcordia menti
Adjicias, validóque precum molimine ſacram
Sollicites Sophiên, importunúſque Petitor
Hanc ſuper ambitam vocalia guttura tollas;
Si deſidêriis ſocios ſine fine labores
Adjungens, vel ut Argenti rude pondus in aſpra
Quæſieris vena, factæ aut Cimelia gazæ;
Experto tibi tunc patefiet Cultus Iövæ,
Notitiámque Dei ſenſu ſubolebis acuto.
Nam Qui præcipiens edicto poſtulat, author
Et dat opes Animi Deus exorantibus; Huic nec
Magnæ molis opus, cum Quæ deſiderat ore,
Præſtet & (inſtinctu) ſapientis munera fibræ:
Ille & conſilii ſolidè conſtantia Rectis

Firmamenta

Firmamenta adhibet, Scutíque & Caſſidis inſtar
Seſe habet, admotus talo incedentibus æquo,
Cuſtodire vias valeant ut Juris, & illos
Quos ſibi ſacravit ſecuro in tramite ſervet.
Compoſiti Jus Fáſque animi, tum (exercitus uſu
Diſcipulus) ſapies, calléſque Eupraxeos omnes.
Nec bona duntaxat præſtat *Sapientia*, at (Hoſpes
Corde placens admiſſa, ipſiſque admota medullis)
Conſiliis agit excubias, Curâque ſagaci
Proſpiciens, *fida* incolumem *Cuſtodia* reddet,
Exitióque viæ eripiet Capitalis & ipſis
Erroris blandi ſuaſoribus, à ſceleratis
Servatríxque viris (fanda atque infanda loquutis)
Expediet, *Recti* claro qui *calle* recedunt,
Ut ferrugineâ calcent caligine *tectos*:
Perverſâ queis lætitiâ malefacta (protervis)
Arrident, ſtudióque mali impermiſſa maligno
Gaudia jucundo perfundunt pectora motu,
Queis iter intortum eſt, à pravo & neſcia flecti
Nequitia in rigidis induruit aſpera fibris.

Illa *peregrinæ* inſidiis mulieris, & omni
Verborum lenocinio, fictæque loquelæ
Aſſeret illecebris *Ejus* quæ transfuga primæ
Ætatis deſerta Ducem, tranſgreſſa Deíque
Pacta ſui, erubuit Jus (refractaria) nullum:
Cujus ad interitum ſpectat domus, & vaga tractûs
Curricula expertum vitæ illætabile limen
Margine confini attingunt: nec qui ſemel Hujus
Hoſpitio aſſuevit, facilè veſtigia retrò
Flexerit, amiſſas iterúmve prehenderit oras
Vitalis Limbi: (Hæc *incerto tramitis* illa

Præſtat

Præstat alexicaca:) amotis ut calle Bonorum
Incedas offendiculis, & compita ſerves
Juſtitiæ pede librato: Nam Gens pia terræ
Incola durabit firmus, praviſque *ſuperſtes*
Natio juſtorum æternùm ſine fine manebit.
Aſt exciſa brevi evaneſcet perfida Fato
Colluvies, avulſa ſolo radicitus imo.

Cap. III.

CAvebis ergo Nate, noſtra nè tuis
Inſcripta fibris dogmata
Oblivioſo exeſa *Deleterio*
Lethæus abradat latex:
Quin *cruda* primis tradita hæc conceptibus
Dein cordis excipiens *calor*
Præcepta recoquens ſubigat, inque vividam
Praxim elaboret artifex.
Hinc prorogatis vita clara finibus
Exibit in longos dies,
Crebrò & recurſus computabit annuos
Cervinus ætatis tenor,
Nec *Tempori* quas addidit, *Paci* moras
Placida ſenectus eximet.

Nè te miſericors fibra, neu verax fides
Expectorata deſerant;
His ſed decorum cinge *collum* torquibus,
Cor híſque characteribus
Des imprimendum; (ceu figuris *paginæ*
Inſignit *æquor* aureis

(Calami

(Calami volantis expeditus artifex)
Hâc te *merentem* multiplex
(Dei benevolus, hominum & aspirans favor)
Beaverit *stipendium.*

Age ergo totâ pectoris fiduciâ
Fidelis in Nomen Dei
Penitùs recumbe, nec (vacillans) propriâ
Vi fretus, aut Prudentiâ
Per universas multiformis orbita,
Vitalis incedens viæ,
Agnosce certam Numinis præsentiam
Res permeantem quaslibet;
Sic præsidenti dexter auspex Spiritu
Cœptus secundabit tuos;
Sagacitatis illubescens propriæ
Nè fastuosa opinio
Te perplacentis raptet in dementiæ
Malè placituros exitus.
Reverere Dominum serio, & Quibus *mali*
Notam ille inussit, abstine;
Hinc *tecta* quamvis exteris foelicitas,
Tibi *certa* proveniet tamen:
Ceu per canales *commeatus* abditos
(Vegeti umbilici transitus)
Casso embrioni accedit, aut *merum* modò
Animalem habenti spiritum
(Sibi providenti Nil) medulla suppetit
Tacitè irrigatis ossibus.

Jehovæ honorem elargientis omnia,
Usu integræ substantiæ

(Solidus

(Solidus ad assem dedicator) provehas,
Laxísque quicquid in Satis
Frugis repertum est, *Huic* libens Donario
Sacrante, primitias refer;
Sic in refertis intumescet horreis
Distenta vis Proventuum;
Quin & lacunas pressa torcularias
Musti fluenta ruperint.
[*Nec modò secundis rebus, at duris piæ*
Stet mentis æqualis tenor]
Redarguente te Jehova *leniùs*
Correptionem haud *spreveris*
(Fili); *increpante*, nec *severioribus*
Cor *defetiscat* jurgiis
(Cœlestis usûs immemor); nam quos Deus
Amore prosequitur suo,
Hos Disciplinæ *strictioris* vinculis
Magister asper continet,
Ferulis adurgens insuper; ceu (quos amant)
Tractant Parentes liberos.

[*Verùm ô sacrarum formularum compotem*
Gentem incapacem Quis dabit?
Noc hæc prophanæ subjacent Plebeculæ
Documenta, aut stupido gregi.]
O ter beatum Nocte qui multâ obsitam
Retexerit Prudentiam,
Et è profundis (pertinax) sedilibus
Venæ latentis strinxerit
Rimator acer, institórque callidus;
Nam merce longè *argenteâ*

Mercatus

Mercatus *hujus* potior est Cimelii;
Quin *aureis* & laminis
Summis laborum præmiis mortalium
Sapientiæ fructus præit;
Haud Margaritis æstimanda vilibus
Precio licetur impari;
Desideratis uspiam cupediis
Desideranda impensiùs
Meritò! Cum *aduum* reliqua prosint omnia,
Hæc *omnia* una conferat,
Naturæ opimis *Sortis* atque *Gratiæ*
Regina muneribus potens,
Præfert alumnis *dexterâ* pedissequis
Protensa *Vitæ* stamina,
Lævâ pecuniæ alitem sistet fugam,
Rapacem & apicem Gloriæ;
Amœnitate semitæ suavissimâ
Non tœdio offusæ jacent;
Nec fert *sequentès* dulcor iste aculeos,
Sed pace conscientiam
Stabilit perenni, certus *obsès* posteræ
Hæreditatis, & *Sapor*,
Cum sit salutis planta *Signatrix* ratæ
Vitalis obtinentibus,
Quosvis redonans mordicùs tenentium
Fœlicitate perpeti.

Dominus Jehova *nobilis* Prudentiæ
Bene natæ *origo* & *parens*;
Hâc sibimet usus usque Consiliariâ
Opera universa condidit:

Telluris

Telluris ingens (ſcitus artifex) onus
Regione fundatiſſimam
Suſpenſam *inani* præſtitit, & agiles Poli
Stabilivit æternùm globos;
Quin & latentes in profundo gurgites
Scaturientûm Fontium
Ruptis ſagaci dexterâ repagulis
Miſit in apricum, & alveis
Diviſit orbi, Partibus puriſſimis
Mox in vapores editis,
Per ſtillulantes imbrium minutias
Juſtum eliquantur ad modum.

Hæc (Nate) neutiquam indita præcordiis
Magnalia excidant tuis;
Sed veri ſimilem erroris apparentiam
Criterio excernens acri,
Reſidat animo *Ipſiſſimi* ſubſtantia
Veri evidénſque notio:
Hæc influentem corpori vitaliter
Animam *animabit de novo*,
Nudo indecentis collulíque aſpectui
Circumfluam addet gratiam;
Securus æquæ ſoſpiti tunc orbitâ
Viator incedes Viæ,
Nec obvio uſpiam impeditus ſcandalo
Offendet impingens gradus;
Quod ſi levandis lectulo laboribus
Laſſis recumbas artubus,
Miſero *intonatos* nulla dormitorio
Formido ſenſus opprimet;

Molli

Molli fovebit ſed reclinatum thoro
Amænus ac altus ſopor.

Nè pertimeſcas (nec decet, nec fas) ubi
Pavor alicunde corruens
Temerè ſubortus perſonat, *vulgariter*
Metu obſtupeſcens publico:
Certus ſalutis dege, cum vel ingruat
Suprema tempeſtas malis;
Ipſe ſtabilitæ namque Confidentiæ
Tibicen *Omnipotens* erit,
Et tibi plagarum nè impliceris nexibus,
A fraude proſpiciet malâ.

O magna culti Numinis ſtipendia!
At at *profeſſum* videris
Præſtes Timorem, cruda nec immanitas
Hypocriſin arguat: Deo
Qui *juſta* ſolvit, debet & officia viris:
Cave ergo nè ſubduxeris
Tributa *Dominis* exhibenda *egentibus*,
Nec pauperum (nefas) gregi
Curtæ erogare renue *dimenſum* dapis,
Stipémque cum præſto eſt ſuam;
Feſtinæ acerbus nec fatigator ſpei
Dic flagitanti proximo
Faceſſe nunc moleſte; quin magis redi
(Si fert voluntas) craſtino,
Mercedis aliquid efferes perendiè,
Cum jam ſuperſit ad manum.
Nè mente fraudem machinare perfidam
Vicini ad inſidias latens,

Quando

Quando inquilinus degat in confinio
Securus, & fidens *tui.*
Contentioſis prægravare jurgiis
Aut litibus ſuperfluis
Quenquam implicare nè labores, cum malo
Te *(humanus)* haud affecerit.
Si quandò videas (videris id autem frequens)
Potentiâ armatum *impium*
Pium opprimentem *pauperem*, haud gliſcens tuo
In corde livor; æmulo
Proritet œſtro; neve quas damnas vias
Studio imitere peſſimo;
Nam ſortis æquæ quamlibet fauſtiſſimâ
Utatur aurâ *Pervicax*;
Spretum at Jehovam ſentiet acerbiſſimum
Abominatorem *Sui*,
Qui corde *puros* admovens ſibi, intimæ
Arcana mentis explicat.
Dei execrantis dira deteſtatio
Tecta pervagatur impii
Devota cladibus *ultimis*; penatibus
Benedicit at gentis *piæ.*
Utique protervos ſanniones invicem
Subſannat æquus arbiter,
Cùm manſuëtis juſſaque capeſcentibus
Det expetitam Gratiam;
Et cùm ſtatutos terminos compleverit
Staturæ & ætatis novæ,
Tunc profligatis glöriam calumniis
(Hæreditatis gratiâ)
Sapiens adibit *Natio*; ſed debitum
Stolida reportabit probrum.

Cap. VI.

O mea Progenies, Patris Dictamen amici
Excipe, quóque magis Sophiæ fœlicia discas
Jura, vaporatas præstes attentiùs Aures:
En ego namque bonam Doctrinam perfero, Legem
Ergo cave patriam contempseris. Ipse Paternum
Cum penes Arbitrium fueram, cum parvulus almæ
Coram aderam (tener atque placens super omnia) Matri,
Tunc me Illa erudiens Puer ô spectabilis (inquit)
Accipe, nè pereant animo mea dicta fideli,
Et nostras serva (sic vive in sæcula) Normas;
SCIRE (puer) SAPERE &, voto pete gnaviter uno:
Ista para, nec Te partorum tœdia tangant,
Néve oblita tibi, aversó depulsáve Corde
Sint Sophiæ præcepta meæ, nè perfidus illam
Desere desponsam, sed Amóre impensiùs omni
Prosequere; alarum sic te circum-ambiet Umbrâ,
Servatum eripiétque malis: Age, perge Petitór
Candide; Consiliis *Quæ* præsidet omnibus *Una*
Hanc *Rectricem animi* Rationem compara, & omni
Partorum precio tibi Solam acquire Redemptam,
Quæsitam in sublime vehas, sic te illa vicissim
Tollet, adhærentem validísque amplexibus (*Ortu Indecorem*) adjectis titulis ornabit, & indet
Nudo aliàs Capiti Divini Insigne Decoris,
Sydereùm-effulgens Diademáque Tempora circum.
Exaudi mea verba, alto simul insere Cordi;
Sic tibi Canicies extremi exhauriet ævi
Curricula, Et (nè vilis agas) Sophiæ tibi signo

Nobile

Nobile iter, Ductórque viæ compendia rectæ:
Arctus nè gradienti angat veſtigia trames,
Obvia nec properantem in pronos ſcandala lapſus
Dejiciant: Tu Divini præſcripta teneto
Conſilii, ignavúſque anſam nè mitte prehenſor,
Sed precium æternæ tueare in ſæcula vitæ.
Nè ſpacia ingreditor ſceleratæ *ineuntia* Turbæ,
Curriculum nedùm ad metas *abſolve* peractum;
Linque pede averſo, fuge pertranſire peroſum,
Et diverſus abi flexûs ambage ſagaci.
Namque aliquod niſi flagitium ſcelerata patrârit
Natio, ni faciat ſibi læto impingere quoſdam
Crimine, dat pœnas, placidam neque pectore noctem
Accipit, ereptóſque gemit, noxæ haud rea, ſomnos;
Urget enim veſana fames, Dape quippe nefandi
Veſcuntur ſceleris, vinum ſitiúntque cruoris.
Heu fugito immanes, juſtæ téque inſere claſſi:
Nam velut Eoo aſcendens Sol Cardine Mundi,
Suffuſus nebulis Lumen dilutiùs udis
Projicit, uſque caput peragrato puriùs axe
Oſtendens, donec medio ſublimis Olympo
Lucet inoffenſum ſibi redditus; haud ſecus almus
Incrementa decor, radios & gloria plures
Juſtorum recipit, dum pleni ad culmen honoris
Jam provecta, apice æternùm ſibi conſtet eodem.
Non via ſic ſacræ expertûm Virtutis; opaci
Qualis at exortu glomeratæ Veſperis umbræ
Cum properant, denſæque vias Caligine celant;
In præcépſque viatores & Lubrica ducunt
Ignaros qualis ſuccumbent clade ruinæ.

Ergo meis ſoboles te nunc adverte loquelis

Morigera, atquẽ aurem monitis inflecte ſequacem,
Jugiter illa oculis propone fidelibus, imo
Corde (memor) ſervans; quippe *invenientibus* ex His
Vita fluit, Hominíque ſalus venit integra toti.
Cor ipſum imprimis omni molimine ſerva,
Hoc Scatebræ Factorum etenim ſe fonte reſolvunt,
In vitámque exire ſolent; fuge porrò labrorum
Perverſorum ingens diſtorti & dedecus oris;
E Regione ſcopum tibi ſpectent lumina, rectâ
Hùc gemina intuitu collimet Palpebra & uno;
Libratáſque vias, (nè quis vagus auferat error)
Perfecto appendas examine, Callibus æquis
Vt pede directo valeas incedere, nec te
Merx ulla ad dextram detorqueat, ádve ſiniſtram,
Sed catus à tractu avertas veſtigia pravo.

Cap. V.

O Circum inſidiis obſeſſe, petitéque pulchrâ
Fraude, ſalutiferas (Fili) ſitientiùs artes
Hauri animo, atque aures Doctrinæ inflecte paternæ,
Ut Sophiæ ſolertis acumina corde reponas
In medio, & labiis (linguæ cuſtodibus) aptè
Emanare ſinas: ſuavi namque uda veneno
Vel ſtillante favis vox melle liquentibus exit
Dulcior è labiis *Peregrinæ*, oleóque palatum
Mollius, anteriùs præfatos leniter ungit;
At quæ poſteriùs te pars ſubducta lateſcit,
Plus Aloes inſuavis habens, vel acutior omni
Mucrone ancipiti ferit ictas cuſpide fibras.
Ipſius ecce pedes necis exitialia ſpectant

Limina

Limina, Avernali ſuſpenſíque aggere greſſus
Hærent veſtibulo Inferni: ſed nequa repenſo
Hujus curriculo melior te cura laceſſat,
Circumiens vario in diverſa revolvitur orbe,
Exigere ad trutinæ poteris nè examina certæ
Mobile iter, dirum aut fugias *contrarius* aſtum.

Me, mea Progenies, me nunc audito, nec oris
Declinato mei ſermonibus, eripe greſſum
Hâc procul, & limen propiùs fuge viſere tecti,
Nè famâ exutus des irriſoribus illam
Suave argumentum ſannarum, ineuntis & ævi
Flore novo (infœlix) orbatus, victima primis
Immatura cadas, crudis ultoribus, annis,
Ignotúſque hæres opibus diteſcat opimis,
Mérxque peregrinâ veſtri ſit in æde laboris:
Et tandem infandis reboes clamoribus æger
(Tabuerint vacuis ſimul oſſa exucta medullis)
Heu quàm provecto, ac odio *inſectabar* acerbo
Stultitiæ erudimenta meæ! Correptio quanto
Spreta mihi faſtu periit! monitoribus aſper
Quàm non obſequio tuleram, fibráſve Magiſtris
Auritas dederam gravè præcipientibus! eheu
Quàm cunctis prope (vappa) malis, lue & obrutus omni,
Stigmaticum iu mediis oſtentum proſto catervis!

[*Hæc (Animi decoctor, opúmque & Sanguinis) imo*
Corde gemes, ſed enim Re, Mente, & Corpore ſano,]
E propria potùs ciſterna exuberet hauſtus,
Et trahe legitimo latices de fonte ſalubres:
Undique circumeant Scatebræ, emanetque platæis
Finitimis vivus curſuque exercitus humor:

Sit tamen *in ſolidum* proprii tantummodo juris,
Neve tui cenſûs extraneus arbiter eſto;
Eſto tibi ſcatebra at fœlix, cum uxore juventæ
Dum te unà exhilerans ſociales tranſigis annos.
Illa ſit ut conſors peramantis fœmina cervi,
Agreſtíſve *Venus*, Caprinæ & *Gratia* gentis
Caprea (præ reliquis Deus ipſe animalibus olim
Queis deſideria, & validos infudit amores)
Illius illecebris ſaturent te ſemper opimis
Ubera, & (ah) ſociæ rapiare cupidine ſponſæ.
Cur alienæ etenim raperere libidine formæ,
Per vetitos blandûm amplexus peteréſve Soporem?
Quippe hominum tractus ut aprico in Sole Jehovæ
Tralucent oculis, exploratóſque ſeverâ
Ille ſolet tenue ad momentum expendere librâ:
Diâ ſorte ſcelus ſceleratum corripit ipſum,
Prenſúmque adductis propriæ improbitatis habenis
Nexibus aſtringit validis, mortíque ligatum
Devovet infandæ, cœleſtis munera ſuadæ
Spernentem, ingenti ſtolidéque errore vagantem.

CAPUT VI.

SI te pro blando Vas officioſus Amico
Fidem tenente ſponſione ſtrinxeris,
Cúmque peregrino nullo tibi fœdere juncto
Manum (ſupine) complicâris obſidem:
Os tibi (Nate) tuum fabricavit vincula; Linguæ
Et illigaris (involute) nexibus:
Quid faceres! vin' conſilium? quin accipe, ab iſtis
Scias te ut ipſe liberare caſſibus:

Quando-

Quandoquidem Socio jam ſis obnoxius obſes
Abi repentè deſidíque te morâ
Eripe, *Cui* obſtrictus ſis te ſubmitte, tuóque
Lytro redemptum efflagitato proximum,
Ne minimam excipiant nutantia Lumina noctem,
Levi aut ſopore ſit refecta palpebra:
Te redime, ut Cervus venantûm à retibus, ut ſe
Plagâ aucupantis expedítque avicula.

I nunc diſcipulus formicæ accede puſillæ;
Viam & ſagacis æmulare providam,
Hácque (piger) Sophiam ſolertem diſce magiſtrâ,
Cui, abſque Rege, diſciplinâ & exterâ,
Vivendi impreſſit Natura peritior artem,
Suis ut anxia ingerat cubilibus
Proventus in meſſe nova, Qui frigore toto
Sibi in fidele ſuppetant viaticum.
O periture! quouſque tuo (lentiſſime) damno
(Perempte tabe diffluentis otii)
Indulgere libet, quam te Dormitor ad horam
Stupore ſegnis excitabis è tuo!
Quid tibi vis! deſiſte moris (Ceſſator) abſiſtis
[*Parùm quietis, oſcitantiæ parùm*
Plexarúmque parùm manuum, ambitíque ſoporis]
Sibi faventis uſque & uſque inertiæ,
Dum te præveniat celeri pede *Curſor* egeſtas
Ahenâ & ægide irruens Neceſſitas:
Hæ tibíne inſideant Animi Vitæque lituræ,
Inuſta turpi & imprimant Opprobria;
At ſcelerum imprimis Peſtes fuge, triſtis & omnes
Sodalitatis ambitus, ſtrophas, modos,

Tractum ipsum à vitiis nullâ virtute redemptum;
Sceleſtus ille diſſolutæ & indolis
Perverſo incedit petulanti & garrulus ore,
Sed & vafrarum acutus Hermes artium
Symbolicis nictans oculis, pedibúſque locutus,
Digittulis & inſtruens docentibus
Conficit arcanis ſcelerum Myſteria ſignis
Peritus author, incitator & mali.
Nec mirum; cum nequitiæ fœcunda ſupellex
Sinûs abundet officinâ in uberi,
Omnimodúmque nefas ſtudio ſine fine perennj
Recudat intùs Fabricator affabris;
Cauſaſque invidiæ ſociis innectat: ob iſtas
Deo moleſtus, & viris protervias,
Illicet exitium Plagæ immedicabilis ingens
Parem nefaſtæ in exitum feret viæ;
Sed quæ cauſa mali atrocis? ſic accipe; pravis
Dei æſtuantis inſtat execratio,
Qui cum peccatis gravis *omnibus* ingruit oſor,
Tum & iſta *Sena*, reſpuítque *ſeptimum*,
Elatos Faſtu obtutus, mendacia linguam
Recondientem amæniter, *reatibus*
Immunûm dextras inſonti cæde madentes,
Scelúſque Cor imaginans nefarium,
Feſtinóſque pedes factum dare, falſa loquentem
Amore teſtem iniquitatis impio,
Crimina ſpargentemque fideles inter amicos,
Amarulenta litiúmque ſemina.

Quocirca Legem charorum Nate Parentum
Dati tuere formulámque Conſilî;

Hanc

Hanc tibi perpetuo circum præcordia nexu,
Venuſtulámque Colluli columnulam
Stringe (memor); Sic *multiplici* te merce beabit:
Statâ, ambulante te, præibit orbitâ
Sumentémque teget lenem (clypeata) ſoporem,
Te & excitante de ſopore, ſuavibus
Alloquiis animum mulcebit amabilis hoſpes,
[*Nec infidelis Hæc repelle Xenia*
Apta tibi nata eſt depromere:] Quippe nigranti
Subibit *alma* ſplendidæ vicem facis
Nocte viam ſignans *præceptio*, & axe diurno
Nitore Solis aureo magis nitet:
Quin & cenſuræ increpitans correptio noſtræ
Ratæ eſt ſalutis expedita ſemita,
A vetito eripiens pravæ mulieris Amore
Necanti & ore blandientis *exteræ*.
Nè deſiderio Scorti tangare decentis,
Nec aucupantis implicêre palpebris;
Pauperiem ad ſummam namque *illius* ergò venitur,
Minutiáſque fruſtuli breviſſimas;
Quin precioſam animæ venatur Adultera vitam,
Ad ipſam *amœna ſanguiſuga* vel necem:
Ecquis erit gremio qui tectum abſconderit ignem
Nec uſtulatus hinc amictus arſerit,
Impune aut ſperet prunas tentator ineptus
Perambulare vividas mero pede?
Sic culpam haud tantùm nuptæ contraxit *Adulter*,
Sed impudente tactione fit nocens.
Nonnullo opprobrio afficitur Fur cum vacuo alvo
Neceſſitate ſuggerente conſulit,
Nè vitâque luat, ſepteno fœnore furtum
Bonis minutus omnibus paciſcitur.

Matronam

Matronam at vitians dementit, quiſquis id Actor
Patrarit, ipſe propriâ luet nece,
Sentiet impactum vulnus, jacturáque famæ
Perennè merget obrutum probro Caput.
Nam mens Zelotypi ingentes proclivis in iras
Die ultionis haud furens pepercerit;
Nec prece, nec precio redimes te, munera neoſi
Reduplicâris, acquieſcet impotens.

Cap. VII.

QUin mea cuſtodi (noſtra ô genuina propago)
Verba tenax, & juſſa animi (ſic vive) recellu
Depoſita infodias Cimelia, ſegnius ipſis
Néve oculis tueare: Et nequa oblivio noſtri
Dogmatis obrepens, ſenſus oblimet inertes,
Id velis articulis *monitore* aſtringere filo,
Pectoris & Tabulæ duranti incidere ſcalpro.

Quin & blanditias ſuavi vocúmque lepores
Colloquio inſpergens, Sophiam (blando ore) ſororem
Nuncupa, ut *Affinis titula* Sapientia Cantu
Conciliata tuo, illecebríſque illecta pudicis,
Aſſueſcat *proclivi animo*, torreptáque flammis
Corda ejus puris, peregrino igneſcere torre
(Zelotypa) avertat, Nè blandiloquentia mollis
Suadæ Alienigenæ caſtos pertentet amores.

Fabor enim (quandoque meâ ſpectator ab Arce
Haud incautus agens) Speculæ Quid ab indice vidi
Ipſe feneſtellâ: vecordes inter Ephebos

Quidam

Quidam erat, insigni specie, *melioris at expers*
Particulæ, nec mente vigens: ut fortè per urbis
Se tulit anfractus, *Hujúsque* accesserat antri
Secreto penetrale sinu, sub limite fusco
Temporis *ambigui*, vel quum provectior umbras
Vesper agens auxit, fòrs & sub nocte profunda
Cum Lychni, dormitanti jam lumine cœcum
Vix iter ostendêre, (his Tempestatibus unâ
Sive aliâ) itanti (tulit ut fors) se obtulit ultrò
Fœmina quæ patuit Meretrix, Habitúque *patranti*
Oris & obtuitu: Corde illa reducta latenti,
Voce viget strepitúque: Ferocula, pectore duro,
Moribus indomitis, Domino neque subjugis ulli,
Cujus amant peregrinari vestigia, sisti
Nescia fine suâ, sed desultoria gressu,
Lascivo expatians, gyris alterna remensis
It, vicibúsque redit, patulum nunc eminus orbem
Circumiens, nunc circuitu interiore platæas
Vicatim indigenæ vagabunda perambulat urbis:
Quâque aliis latitat seductior angulus, illic
Pertexit graciles, pellax ut aranea, telas,
Eque suâ incautis statione supervenit: istum
Quali tunc juvenem comprendens arte, prehensum
(Nec mora) suaviolis tentavit, aheneáque ora
Obfirmans, fictâ ad Placitum sic voce locuta est:
En hodie Paci libamina multa parandæ
Effudi pateris, adipatáque torre cremavi
Sacrifico, sanctè conceptáque vota peregi,
Relliquias de more sacris operata reservo:
Ergo ut de mensis impertiar, obvia veni
Candide (amice) tibi, dilectos sedula vultus
Quæsitum, faustáque mihi es nunc sorte repertus.

Sed

Sed (Bone) maturas redîtum cœnatus, & hoſpes
Ah mea faſtidis jam Lectiſternia gratus?
At Phrygiæ textis, *acipictis* atque cadurcis
Inſtravi (haud immunda) thoros, operíſque Toreutes
Archaicis poſtes varióque Emblemate ſculpſit.
Tenvia liną Phari noſtræ traxêre Clientæ,
Ad thalamíque uſus in mollia munera nerunt,
Artifici confecta colu, Myrrhâque cubile
Suffivi, & Caſiâ, & Styracis bene olentis odore;
Ergo adſis (mea vita) ſuävis amicus, amicæ
Blanditiis aſſueſce: age! mutua gaudia plenis
Hauſtibus ad rapidi feſtinans tempus Eoi
Percipe mecum unà, nec ſolo Nomine, ſed Re
Viventes, nos delitiis ſatiemus opimis.
Et mentem nè fortè tuam quis ſcrupulus angat,
Vir procul urbe ſuâ longè diſtantia ſeſe
Contulit in ſpacia, atque aliis *peregrinus* in oris,
Inque viæ, vitæque viatica, pondera nummi
Non levia in *capſa*, *loculis* capienda nec arctis
Secum habet, ante ſuas condictum tempus ad ædes
Nec rediturus, abeſt: Blandi ſic denique flexit
Ubertate ſtyli, vocis dulcedine ſenſus
Perfundens maleſuada leves, violentáque tandem
Oratrix loris penitus ſibi traxit amœnis.
Ille ſui juris (nunc) libertatis & impos
Sponte, ſuam (præceps, Animo minimeque potenti)
Inſequitur Dominam infœliciter: ut ſaturus bos
Fertur ad interitum, aut conſtrictis *morio* vinctus
Compedibus, rigidæ ſtolida ad Documenta cataſtæ,
Sed neque *pertractum*, nec ſeſe advertit *euntem*,
Lethalis donec jecur in diffiſſile culter
Tranſeat, aut propriâ ſe retibus induat alâ

Sicut

Sicut avis, non gnara ſuæ tendi *illa* ruinæ.

Ergo meas tandem (mea ſola & ſancta Propago)
Exaudito preces, monitus, mandatáque, Quicquid
Et mea multiplici funderunt ora labore,
Nè pulchris pellecta dolis præcordia, torto
Ad vaga declinent flexu veſtigia, verſum
Hujus in amplexus neu te malus auferat error.
Namque ſuis animas confoſſas undique telis
Stravit, & innumeros (fortiſſima corpora) cœtus
Cœſos occiſione imbellibus addidit umbris.
(Peſtis & exitium infandum) infernalia cujus
Ad vada *funeſti* atque ululantia Regna *penates*
Compita trita patent, quæ deſcendentia multo
Circuitu mortis Penetralia ad infima vergunt.

Cap. VIII.

En Divina graves Sapientia perſonat aures,
Elato clarè vociferata tono:
Altarum *oratrix* ſtationum culmina captat
Stans ubi ramoſæ diſſiliere viæ,
Quâque per anguſtas exundant agmina portas,
Urbium ad introitum, veſtibulúmque Larum:
Vos genus humanum, vos alloquor (inquit) & imam
In ſobolem à primis vox mea ſtillat avis.
Expers Judicii grex tandem aſſueſce ſagaci
Conſilio, & monitus corde reconde meos,
Et facilem præbeto aurem: præſtantia promam
Eloquia, & nullis ſubdola facta ſtrophis:

Ore

Ore meo verum, *ceu* Fontis ab ubere manat,
Fraudem averſantur labráque noſtra malam.
Nil niſi Juſtitiæ mea verba oracula fundunt,
Nulla intortáque vox aut ſinuoſa ſonat,
Omnia morigero occurrunt, animæque ſequaci
Perfaciles ſenſus, expoſitóſque ferunt:
Ego malas contemnite opes utriuſque metalli,
Et prælata meæ ſint documenta Scholæ;
Præ noſtrati Adamas *palleſcit* Luce, pudico
Altera gemmarum *ſubrubet* ore Venus.
Vileſcunt collata mihi Quæcunque per orbem
Mens cupit, aut votis eminuere virûm.
En cum *Conſilio Sapientia* degò ſagaci,
Subtilis Sophies & per acuta feror:
[*Virtutis rudimenta canam!*] Reverentia Iövæ
Unica, ab exoſo dat reſilire malo:
Hinc faſtum omnigenum, Diſtortáque *callis* & *oris*
Ipſa odi & Pueris ſpernere dono meis.
Conſilii mihi Fons, & Firmamenta ſuperſunt,
Sum vigor ipſa animi, Robor & *ipſa* manûs:
Summittunt apices mihi ſceptra, & munere Reges
Imperium exercent, Judiciúmque meo:
Principibus dominandi artes, atque omnibus indo,
Juſtitiæ morem ponere, Judicibus:
Hæc ego publicè ago; ſed Amantes diligo *amore*
Primo; meque procans manè prehendet Amor,
Dives opum incedo, fulgens & Honoribus, iſtos
Nec macula infuſcat, comminuétque Dies.
Proventus noſtri frondent potiore metallo
Quam quæ finitimo Sole recoxit Ophir:
Juſtitiæ acclivi reſupinum tramite callem
Signo meis, medias judiciique vias,

Ut ſolida herciſcam, brevibus Finita nec horis,
Atque habeat plenas noſter amicus opes.

Me Deus ante ſui tenuit primordia motûs,
Et priùs in cunis quàm tener Orbis erat:
Cum nondum inciperent procedere ſecla, priuſquam
Principium, Terræ vel globus eſſet, eram:
Ante cavæ penitùs quam ſubſidêre Lacunæ,
Aut fons ullus aquæ parturiebat onus,
Vel montes Terræ immerſi radicibus imæ,
Collium & extiterant terga ſupina, *fui*:
Cum nondum brutam tellurem, aut rura creârat
Florida, pulverei vel juga ſumma Soli:
Ipſa aderam, æthereos cum concinnaverat axes,
Cum tereti gyro cinctaque abyſſus erat,
Cum liquidum humorem nimbis ſuſpendit, & alti
Obicibus clauſit Gurgitis ora ſtatis,
Lege ratâ ac ipſum compeſcuit Ennoſigæum,
Nè juſſa indomitæ tranſgrederentur aquæ:
Turrigeræ molis ſtatuens immobile fulcrum
Grande ſuper *Nihilum* cum ſtabilivit onus;
Tunc Deus Omnipotens admotam Me Sibi junxit,
Et cubui in tenero, dulcis Alumna, ſinu:
Delicias Me jugè habuit Pater, atque Ego cepi
Gaudia in amplexu quotidiana Patris,
Suavè jocans, quâcunque novæ vaga climata Terræ
Artificis doctas explicuere manus.

Sed vos, Deliciarum oblectamenta mearum
Lætitiæque eſtis Pars mihi prima, *Viri*:
Quocirca mihi (Filioli) auſcultate loquenti;
Fœlices calles qui tenuere meos.

Præstate obsequium monitis, accedite sanæ
Menti, immorigero non renuente pede.
Fœlix quæ foribus præ nostris excubat auris,
Et didicit lentæ tœdia ferre seræ.
Nam Me qui reperit, reperit *Cimelia* vitæ,
Hunc Domini emergens prosequiturque Favor;
At mihi delinquens animâ luet (improbus) ipsâ,
Mortiferas pœnas & meus osor amat.

Cap. IX.

[Illa Divinæ Rationis Hæres,
(Lucis humanæ Genetrix) supernis
Defluens tectis, humiles volebat
Quærere sedes.

Intuens mentem simul Architectam,]
Hinc parem exemplo (sibi) struxit ædem;
Fulciens septem, decorânsque sculptis
Ritè Columnis:

Altiles & mox Animas trucidans,
Vina conditis & odora testis
Temperans, mensas suo & apparatas
Stromate fundens,

Misit ancillas *Charis* hospitales,
Voce quæ clarâ, prece blandâ, ab altis
Advocent tectis gregem ad instituta
Sacra tacentem.

Huc

Huc ades quiſquis *tibi* (dixit) erras
(Ingenî parcus) : minimeque ſanæ
Conſcio mentis ſibi fluctuanti
Candida dicit;

Heus ! cibo ægrotas medicante mentes
Veſcitor noſtro, tibi prome vinum
(Ingenî largum) mea quod remiſcens
Cura paravit :

Vivite ô ! Brutum fugiatis agmen,
Segreges tantùm *Genii*, (ſagaces
Flebilis lapſûs) Sophiæ auſpicato
Pergite tractu :

[*Sed cave quiſquis mihi fecialis*
Hoſpites urges, quibus acer inſtes]
Nè premas ſcurram, tremulus cachinno
Nè probra dicat.

Perditum cenſor *ſecat ?* haud *medetur* :
Dedecus tantum ſibi quærit ; ergo
Mitte riſorem increpuiſſe, nè te in-
feſtet (Alaſtor).

Mente-prudentem preme ; Te, tuáſque
Diliget Normas ; magis adde ſcito,
Conſciat quo plus ſibi, Diſciplinam &
Sentiat auctam.

[*Quas ſed inculcem tibi Diſciplinas*
Scita quæ incertus rogitas ?] Sciendi
Indicem Recti (Puer) & Recurvi
Accipe Summam,

Prima Lux mentis, Sophies origo,
Suppetit cunctis (Eadem) Jehovam
Nôsse adorandum, studio & Jehovæ
Agnoscere Sanctos:

Hanc tene; sic & numerosus ordo
Mensium *per Me* tibi perget, usque
Et renascendis revirescet annis
Vita superstes.

Sis Sophos *oro!* sapiente nam te,
Proprio lucro sapis: an Magistris
Sannio illudis? tibi Risor *uni*,
Pœna ferenda est.

Insciens recti mulier, refertis
Obstrepit turbis: Licet illâ corde
Desipit fungo, Rudimenta veræ
Nec Sophiæ hausit,

Ostio tecti tamen impudenti
Prostat obtutu *Proca*, vel Cathedræ
Insidens celsæ micat à serenis
Urbis Hypæthris.

Pessimo certans studio *(medullis*
Influens pellex) precis avocare
Ambitu recto pede prodeuntes
Callibus æquis.

Huc ades quisquis *tibi* parcus (inquit)
Ingenî *palles:* Miniméque sanæ
Conscio mentis sibi, fluctuanti
Subdola dicit,

Eugè!

Euge! *ſurrepti* (juvenis) liquores
Muſtei quam ſint citus experire,
Quámque dulceſcit tacitis ſaliva ex-
-ucta medullis:

Hoſpites *Hunc* ſed latet eſſe Scorti
Lucis expertes animas ſupernæ, E-
-júſque convivas *hodie* à Gehenna
Cras fore ſorptos.

FINIS.

FINIS.

FUNUS CORPORIS ET ANIMÆ CONJUGIUM:

SIVE

ΑΠΟΜΝΗΜΟΝΕΥΜΑΤΑ

Quorundam, Fœlicis memoriæ, Hominum qui per Mortis Dedecus in Vitæ Æternæ GLORIAM evaserunt.

Per R. H. *Cantabrigiensem.*

——— Breve & irreparabile Tempus
Omnibus est vitæ; sed Mortem evincere Pactis
Hoc Pietatis opus; pauci CŒLESTIS *amavit*
Quos PATER, *indultúsque evexit ad Æthera* NATUS;
Bis geniti potuere. ———

LONDINI,
Excudebat *T. R.* & *E. M.* impensis
Authoris. M. DC. XLVI.


BRITISH MUSEUM

GUSTAVI ADOLPHI,

Nuper *Sueviæ, Gothiæ, & Vandalorum* Regis inclytissimi,

GESTA, MORS,

ET

EPICEDIUM.

SI Duo præterea tales ARCTOA *tulisset*
Terra Viros, iterum Ausonias penetrasset in Urbes
VANDALUS, *adversis lugeres* ROMA *que Fatis.*

Ad Sereniſſimam CHRISTINAM

D. G. Sueviæ, Gothiæ, & Vandalorum Reginam, Germanorum Liberratis, & Germanæ Fidei Propugnatricem hæreditariam Supplex

PREFATIO.

INclyta (quæ Patriis ſubiens fulgoribus Hæres
Indigenas oculos proprios obvertis ad Ortus)
Imperii Cenoſura tui, Cui Nobilis Arctos
Rerum Apicem & pactas ultrò ſummittit habenas,
Liberáque Indomitus venit ad prætoria Suevus;
Accipe (GUSTAVIS) defectos viribus auſus
Nominis ignoti, facilíſque levare labantis

Officii digneris Onus: Dum Carmine texam
Geſta immenſa levi, Famæque ingentia tantæ
Curricula in deſcriptum auſim compingere gyrum,
Grandia in *anguſto* recitans; ſed enim æqua gravatum
Spes reficit, Plus nempe oneris quod Habentibus, & plus
Ceſſurum Veniæ: Haud Cypri prætendere Ramum
GUSTAVI Pheretro Cuivis fas, nec, niſi Factis
Laudetur minus Ille ſuis, laudabitur ulli:
Quid verò hinc cunctetur Honos, Pluteíque reductum
Semper amet labor iſte ſinum, metuénſque Procellæ
Accerſat Remoras, trajectum eludere Præli
Calſidus, atque ſalum, ventóſque, æſtúſque ſubortos,
Jacturámque gravem leni vitare receſſu?
Non ita! jam tentat Pelagus: MARIA aſp'ra favete,
GUSTAVI *hic* Famam vehit exemplúmque libellus
Lethæo prærepta Lacu, & Supera ardua ſcandens
Inſtitor, in Laxæ differt vaga Clymata Terræ.

Tu functi Genitoris opes, & Ditis opimas
Relliquias Animæ, Fatis Nomenque ſuperſtes,
Præclaro ſempèrque recens à vulnere (Vindex
Quod modò Teutonicus charâ pro Gente reçepit)
Arripe CHRISTINA, & cognatâ in Pyxide ſerva
(Stirps genuina Patris) Curis preme (porrò) ſecundis
Libertatis opus, Fideíque repagula ſanæ
Diſ-jice Germano generi, Monumenta Parentum
Dans Faſtis rediviva tuis, & (Gente creata
Servatrice) cluas Genetrix par, Filia, Neptis,
Umbra piis, ægris Fotrix, Frænúmque Protervis:

Sic (Tibi longævæ tardè labentibus annis)
Cum novus emerget, ſeclis melioribus, Orbis,

Concre-

Concretumque scelus, verum mentitáque Cultum
Vana superstitio (Telis excussa Dirci)
Corruerint animis, & opacos purior æther
Vestierit, turpésque sacer lustraverit Ignis,
Conscia propositi penitùs lætabere, nulla
Offendétque piam officii cessatio, & olim
(Cum gravis incumbet Morti vicina senectus)
Deficiens recines: Animi at momenta volentis
Contuli, & ipsa, operi tanto, cœlestia soleis
Signa sequi, atque interverso succurrere Vero:
Regna mihi illæsa asserui, res fida ruentes
Fratribus erexi laceris, jura integra raptis,
Sacráque restitui, haud cœptis instare meorum
Degener:
Extremo conferta Panegyris Hymno
Adfremet, & punctis vixisse notabere cunctis
Major Avis Soboles: Me vate SUËVICA PALLAS,
(Fas adeo Bardo tua conjecisse Britanno
Postera fata Decus) Cantabere Civibus ingens,
Et Sociis Tutela, poténsque Suäda volentes
Circumages populos, ultro pandentur amicæ
Acropylæ, fluviorum ultro tibi blanda patescent
Ostia, & unda vehens: En jam te veste vocantem
Carbaseâ in gremium, strato tibi Gurgite Rhenum,
Romanis Fatale atque insuperabile Claustrum:
Hinc tua prosiliens, priscâ virtute, Juventus
Infestas pietati acies, & vivere Rapto
Assuetas, Nemesi Te contereat Auspice justâ,
Surge, agè, devotas (immania pectora) Turmas
Dede pari exitio, Vulpinos figere mores,
Præcipitem & Rabiem pernicior Hercule vindex
Fixerit alepides Lyncas licet: Ergo recudens

Res Hominum, Terríſque redux celebrabere VIRGO
Aurea ſecla novans, vaſti FAX PUBLICA Mundi,
CHRISIADUM COLUMEN, lectiſſima denique Stirpis
HISTORIA IPSA tuæ, GUSTAVIS & optima, Sexûs
HEROINA exors, CHRISTIque inſignis AMAZON:

His te Auguſta (brevi) ſors cum cœleſtis opimam
Auxerit Elogiis, dignas Te contrahe tœdas,
Traductos & avis ſoboli defunde Decores:
Quin Britonum æternas tibi deſuper icta voluntas
Optat amicitias? Populos, inſignia Geſtis
Reſpicéque Imperia, Spem, fortunámque Sereni
Principis ambiguam, Virtutem, animoſáque Partiûm
Prælia, magnanimos Proceres, & utrinque maniplos
Pugnaces, Propriâ indignos qui ſtrage viciſſim
Intereant. Ope ſed veſtrate, Fidéque ſequeſtrâ
Sedatos ſatagant potiùs communibus armis
Italiámque, Aſiámqe, & nigros Solibus Afros
Reppetere Imperiis, trifido & ſuccedere mundo
Erepto *Vacuiſve* Fide, *Sanâve* reflexis:
Lege ſub hac CAROLO nubas CHRISTINA Secundo,
Ut Pietatem unam, Sacra ſanctáque fœdera binæ
Uſque colant Gentes, Errorum caſtra refringant,
Regna arctent Satanæ, CHRISI pomæria laxent;
MAXIMUS unde cluet CAROLUS, te conjuge, conjux,
Et Suevangligenis *aſſurget* Gallica Virtus.

Sereniſſimæ MAJESTATIS *Veſtræ*

Devotiſſimus Orator, R. H.

PARÆNESIS
Ad Natalem Lyranum ut Carmen Sæculare conderet in Memoriam ſempiternam
G. A. R. S.

O Nate dextro cantor Apolline!
Nativa Virtus, Cultus & indolem
Diam allaborans quem Poëtam
A tenero fabricavit ungui,

(Quo nec moventem plectra peritius,
Doctæ accinentem dulcius aut cheli,
Denſive conceſſus Theatris,
Sive jugis Satyræ in remotis

Senſere, quoquò te tulit impetus,
Humana ſeu deſcribere prælia,
Plus quam vel humanos Amores
Æthereis cecinisſe turmis)

Fas

Fas ô ſerenæ ſit mihi Gloriæ
Umbratili Laude officere ; ô Decus,
O digne Muſarum Columnis,
Cæſarea & Recitator aulâ.

Oblivioni præripe Lethicæ
Vitale Nomen ; nunc agè, Carmine
Prehende Famam Sæculari,
Munere propitio, Petitor.

Longis *Minervæ* Conſul honoribus
Dicere, metâ nec (brevis) annuâ :
Si Praxeos cote efficaci
Seſe acuat bene nata virtus.

Ergo pudicam exprome peritiam,
Uſque venam nobilites tuam ;
Silentio tantum erubeſcas
Tradere Deſidiæ Sodali

Suave & Poeſin munus & utile,
Cui deerit haud vis incolumi inclytos
Ornare Mortales, JEHOVÆ
Egregiáſve iterare laudes,

Lenire & aſpræ Curriculum viæ,
Dulci fugato Carmine tædio,
Cui mentis indulſitque ſellam
Et faciles Deus ipſe habenas,

Orator aude quidlibet Efficax,
Quos tu Sacrari cunque velis viros,
Vivóſve, functóſve, haud repulſam
Flexanimus patiere vates,

Quin desuêti Munia Barbiti
Jam jam retractas, quin agili Chelim
Plectro pererras Suavi-Chordam
Egregii Cythareedus oris?

Quas arte nugas expolis affabrè
Cultæ nitescunt illicò, tenuium
Ignésve Pastorum remissos,
Sive jocos, agitésve rixas,

Bella aut marina ludicra cum Choro
Commissa; sin desumere Res graves,
Ingentia Heroum aut liberet
Facta Epicæ resonanda Musæ:

Quàm dulce fœdus, quàm bene mutuo
Splendore certent materia & fidus?
Hâc artifex concinnus alvis
Admoveas (age) verba Rebus.

O qui timores, spes modò & anxias,
Desiderîque tœdia, & intimis
Agona bellatum angiportis,
Conjugiúmque deûm sequutum

Electæ Amatæ Carminis arbui
Dîxti Cothurno, Funera nunc velis
Insignium Heroum, & redemptos
Funeribus celebrare Fastus.

Indigna Lethæ Nomina lucido
Transcribe Fanæ, ac irremeabilem
Per te paludem transfretanto,
Et stupidum effugiant Tenorem

Torpentis

Torpentis Orci : multa tulit Dies
Humana (iniquis obſita terminis)
Vitæ ferenda trans Columnas,
Famæ obitum ſuperante cymbâ,

Per quam revectus Spiritus, inclytis
Lumen redux mortalibus & venit,
Phœbíve claris, ſive pacis
Artibus, indomitíve Martis :

Omnes opimâ merce perennium
Digni Poetarum ; at Numeris minor
Vis obſtat, *Unus* plurimorum
Nè poteris recitare Laudes :

Excerpe Sacro quoſlibet è choro
Apollinaris munere Laureæ
Inſigniendos, & capillos
Pieriâ cohibe coronâ :

Fæcunda *Phœbo* concute pectora,
Arce veternum (gnavus) & igneum
Vibrans acumen, entheatos
Evolitet ſacra mens in auſus ;

Muſis amicum creber anhelitus
Jam jam levatum Te vel in Appulos,
Tractûſve Dircæos, ovantem
Nubivago vehet axe Cygnum :

Errantem *Inani* comprime Pegaſum,
Stringe & cerebro, donec in avios
(Seſſore te) rurſus meatus
Moriger exierit Caballus :

Exurge vindex, nunc adamantinæ
Morti alligatum tradere liberæ
Prævorte Famæ, nè reportet
Muſa tuas aliena laudes.

Ceſſat voluntas? an (catus) abſtines,
Anſamque circumquiris idoneam?
Ah ſtringe venam; Fata dextrum
Suppeditant tibi læva carmen.

PANE-

PANEGYRIS Lyrica,

Laudes ADOLPHI levidenſi Minerva perſtringens, legitimo Encomiaſti opere prælu-ſorio inſerviens.

CUjus ſed aurito Acta Silentio
Captanda (multo plenus Apolline
Vates) verecundis puellis
Et pueris recinenda cantes,

Quæ voce caſtâ, quæ prece poſthumâ,
Tuíque verſûs Alite gloriam
Latè in patentem differantur
Uſque novis celebranda ſeclis?

Grande ergo munus nunc velis exequi
Famæ parentans emeritæ? VIRUM
Hac lege dicam per te in omnes
Et populos & in æva iturum:

GUSTAVICIS ô debite manibus
Encomiaſtes! quin tibi creditum
Penſum capeſcis? jam diſertum
Phœbus ebur, liquidamque vocem

Promittit ultrò Daulias; heu graves
Nata ad querelas, flebilium ſciens,
O ſcenque formatrix Sonorum
Quos Amor, excipienſque Luctus

(Commoti acerbis caſibus) applicent
Suos ad uſus: hac ope Nobilem
Perte xe (deducens ab ovo)
Hiſtoriam ſeriemque Belli;

Cauſaſque juſtas, Teutonici, & Modos
(Crudo remiſtam Marte peritiam)
Lateque victrices catervas
Sub Ducis auſpiciis ſecundi;

Ut Luce vindex appulit aureâ
Germaniam atris cladibus obſitam,
Dum cultui recto Ruinam
Texerat, Imperioque Funem

Fidens Iberis Auſtria viribus,
Iiſdemque Divis; Nomine ſed minor,
Virtute major efficaci,
Atque Sacra pietate cauſæ

Eccleſiæ ultor Regius obſtitit,
Turmiſque turmas ſubruit æmulas,
Gentemque proſtratam excitavit,
Et proprio recreavit enſe

(Bellator acer) plus vice ſimplici,
Aſtuque cœpit, Vique adamantinas
Turres, & exactos Tyrannos
Turbine fulmineo fugavit

Victoriarum in curriculum & ruens
Germaniam armis arripuit ſuis,
Famæ tumultu prævisque
Cœſaream tremefecit aulam,

Tandemque noxæ conſcius ARCHIDUX
Quis (inquit) in noſtram hic Nemeſim datus
Provincias Arte occupatas
Vi propriis Dominis reduxit,

Juſque involutum fraude diu mala
Enſe expedivit cœlitus Arbitro,
Ducesque Iberos enecatis
Obtulit inferias Bohemis?

Infirma crudis Præda Leonibus
Evindicatur, nec jam Aquila (impotens
Voti) recurvatâ prehenſam
Ungue ſibi retinet columbam,

Vertente retro quin levis aleâ
Fortunæ, inani fallimur ambitu,
Dum grex Leonem, dumque (molles)
Numinis Armigerum ſequamur,

Rex inclytis Arcti Advena de Plagis,
Luctis reſurgit major ab omnibus,
Subterque jam mundi Ruinis
Se GOTHICUS ſtabilivit Atlas

Hic

Hic Gloriæ almæ curriculo obſtitit,
Catholicique contudit Imperî,
Spes impotentes, dirus hoſtis,
Nominis, Auſtriacique cultûs:

Cervicibus Loyôla Quis integer
Fatale noſtris decutiet jugum,
Pœnaſque devotæ ampliabit,
VRBIS & advolitantis Horæ:

Tardabit alas? ceſſat acinaces,
Ritè aut remiſti pocula Liberi,
Heu veſtra (Sacri Jeſuitæ,)
Priſca Fides, Pietasque ceſſat?

Jam jam coactis undique Copiis
O milites unum irruite in Caput
Infame, plagoſumque mille
Vulneribus reſerate pectus

Audete! Fortes Fors bona juverit,
Læſum aut ſceleſtis Numen ab hoſtibus;
Curate (jam) ne deſtinata,
Peſte ſub HAC veniat Ruina.

Hâc Ceſarem altum (carmine ſed tuo)
Damnis gravatum militiæ imparis,
Belli execrantem caſum iniqui,
Omnia conſilia & moventem,

Spes valde & ægras, nec validas minas,
Duceſque fu.os, & celerem ſequi
(Vitæque contemptorem opimæ)
Propoſiti ſitientem ADOLPHUM

Dicas potentèr, rerum Apices ſtilo
Sublimi adæquans : Fontibus ô Sacris
Aſſuete, divinam reſolve
Venam (alacer) ſatrapæque ſancti Ir--

Rora perenni aſpergine Laureas,
Nec Facta vitæ grandia nobilis
Quæ tranſitu extremaque metâ
Geſſerat effugiant Nepotum

Labentia annis Sæcula, ut imperî
Stantem Columnam everterat, Arduum
Statuque dejecit minaci
Almaniæ trepidæ Tyrannum,

Manuque protritâ obruit integrum
Victorem, egenis reſtituens opes,
Sortesque ademptas, Sacra, & Urbes,
Sorte, Sacriſque, Foroque pulſis;

Ut primum & arctos inter anhelitus
Germania auctos languida ſpiritus
Et ſpes reſumpſit lætiores,
Perpetuis priùs hauſta Damnis,

Regemque contemplata *Suëvicum*,
(Acri pererrans undique Lumine)
Inſigne Majeſtatis altæ
Ore ſitum placido ſtupebat,

Mirata mores & ſpeciei pares,
Conformia almis Factaque moribus,
Ancile lapſum de ſupernis
*Pallad*ium & ſua fata ſervans,

Crede-

Credebat, arctis denſaque Compitis
Pars ore aperto, Pars tacito ſinu,
Hunc Tota Tutelam Vetuſtæ
Teutoniæ, & Columen fatetur:

GERMANIÆ præſidens de Athleta ſuo GLORIATIO.

NAm quid Tyrannos, ac Dominos truces
Porrò veremur (inquit) amicior
Nos Umbra *Guſtavi* incubantis
Dum tegat auxilio efficaci?

Quo nunquam in armis Auſpice vel Dolus
Supplantet, aut vis proterat hoſtica,
Virtuſve Germanos feroces
Ulla jugo premat inſuëto:

Noſtris catenas Patribus, & crucem
Longo parabant ordine Cæſares,
Virtute quantâ, quamque docto
Milite? ſed minuit furorem

Germana Pubes, ſolaque plurium
Provinciarum pertulit impetus,
Rerumque ROMANUM haud ferebant
Teutonicæ Dominum phalanges,

Nec colla tunc ſervilia, ſed caput
Romæ dederunt, mole ſuâ & ruens
Vrbs denuò noſtrûm reſurgens,
Præſidiis ſtetit auſpicatis.

Romanus at ſi ſe malè diſtrahat
Germaniæ Rex, imperium ſuis
Transferre pertentans Iberis,
Funus at Imperio pararit

Deſerta, rurſus deſeret improbum
Servum Imperatrix ALMANIA, advocans
Examen Hiſpanis tremendum
Mancipiis, domitæque Romæ:

En en Iuventus Vandala, atrocium
Nobis GOTHORUM ſemen & intereſt,
Interque nativas cohortes
Sydereis micat acer armis

Rex ſanctus, idemque inſuperabilis,
Virtutis ô quas, quas fidei notas
Signavit, Actis inſerendas
Hiſtoriæ ſuperantis ævum?

Mavorte quantus, quantus Apolline
Prævortit annos, quam citò flammeum
Vibravit enſem, quam tenellus
In ſolido recubavit ære?

Præivit almis Cimber adoreis,
Retrorſùm adactus, Quo Patriæ ſalus
Primum duello vindicata
Perpetuos peperit Triumphos,

Queis

Queis ampliati tranſtulit Imperî
Pomæria (æquus Victor) & hoſtium
Rejecit auſus inſolentes,
Parrhaſiæ Domitor Quadrigæ:

Surrexit ingens Moſchua copiis,
Ruſſus, Boruſſus, Carpati & accola
(Gentilis hoſtis) Suevicæque
Ambiguus Ditionis hæres:

Excepit omnes (horridus) impetus,
Omnes fugavit, Accipiter velut
Aves minores, vultureſque
Exuperans Aquilina virtus:

Nunc Fautor alis Teutonas æreis
(Rivalis ales) protegit, & Fidem
Spondet tenacem, juriumque,
Atque Sacrorum animoſus ultor:

Ceu Labe facta (dira lues ſatis)
Prorupit olim Diluvies furens,
Silvæque tædas unctuoſæ
Suſtulerat Populator Ignis,

Incendio Arces ſuſtulit hoſticas,
Omneſque (inundans) proluit obices
Victor, Palatinæque Suevus,
(Sic) aditum patefecit urbi:

Horrete Gentes! ingruit, ingruit
Fatalis ultor, ritè cohortibus
Stipatus albis, qui per omnes
Nobilis uſque eluebit oras

Falx Ferdinandi, mucro Philippicus,
URBANA clades, una Triumviris
Ruina præsens, & superni
Judicii rigidus Satelles:

Quæ jam refixit mœnia, quos Duces
(Gestis decoros) impete sustulit,
Exercitus & insolentes
Insolitis opibus refregit?

Testes Odæræ Turris, & inclyta
Jam Tilii probro, æquora Lipsiæ,
Tu insignis & Lauru secunda
Leche, Ducisque obitu interempti:

Tunc primulùm ortu arrisit amabili
Spondens serenam Aurora Meridiem,
Squallore ab informi Caputque
Spes nova Paxque micans, Honestum

Fidesque prisca, incanaque Veritas
(Coæva mundi Principiis novi)
Tyrannidem inter supprimentem,
Luce Oriens reduci, exerebat;

Res nostra & indè exurgere cœperat,
Vires ADOLPHO consilium & suum
Præbente Numen: Vos beatos!
Qui Fidei subiistis alam

(Tutrice salvi sub Lare) Suevicæ;
Tu sola *Norimberga* vice omnium es
Instantiarum, ipsas ad Aras,
Regis, Amicitiæ tenacis,

Volentis

Volentis infesto agmine claudier,
Atque insolentes sponte pati minas
Hostis superbi, dum periclo
Ipse suo redimit Suorum:

Ast igneus non huic vigor, hostium
Circumprementi nube, tulit diù
Constringi, at accitas reposcens
Undique opes rapidæ ut procellæ

Vis major, ingens exilit (impetu
Cum confragoso) flammea ut ingruens
Altè Ruina, ac in patentes
Ejaculat sua signa campos:

Sic Rursus, ex Arcto, explicuit suas
Gustavus alas, Planitiem & capit
Æquam Duello: At jam recessit
Non sine vallo animosus Hostis,

Clathris nec ultrà fretus atrox Leo,
In tesqua reptat, leniter atterens
Caudam, jugis atque in remotis
Suffugia & latebras requirit:

Cur non fugatos aggere milites
(Cursu valentes) cum Duce prævio
(Haud Marte tutos dudum iniquo)
Nunc vagulos, sed & imparatos

Jam jam auspicato fundimus omine?
Statis? repenti quin magis impetu
Instatis? haud signis sub istis
Destituet bona sors merentes.

GUSTAVI Diſceſſus & Deſiderium.

HEu Corda Fati neſcia, Gens tumens
Faſtu inſolenti! pone Superbiam
(Sorti indecoram) nec Ruinæ,
Teque, Tuumque vove. Minorem

Cum te gerebas Numine, vicerat;
Id ſpretum iniquis miſcuit integrum,
Plerumque Faſtum Curſitorem
Tardigradus Pudor apprehendit.

Hoc Fonte clades, Hinc Anima enthea
(Inſons nefaſti flagitii, at ſuæ
Præſaga mortis) glorianti
Victima Teutoniæ recumbit:

Adeſte Fortes! ſubdite dexteras,
Levate pronum: (ah) vulnere corruit
Inſigne Corpus, & ſonanti
Conus humum terebravit ictu.

Et quo refracti ceditis, inclytum
Saltem (indecori) nec tegitis Ducem?
O magne Geſtis *Ferdinande*,
Clarior Opprobiis Adolphi:

Inomi-

Inominatæ conſcia Lutſenæ
Imago veri! fatidicæ O Sagax
Craſis Diei; Quid remiſtas
Solibus, heu totiès, tenebras

Signare dicam? Erroris an unico
Et veritatis æquore Copias
Depræliantes, Lumen Umbris
An *Gothicum Auſtriacis* refractum?

Dormitne venis, prorſus an excidit
Innata Virtus? ah redeat novis
Afflatibus ſuffecta Cœlo,
Si precibus Locus irrefractis.

Toto impleatur Buccina Spiritu,
(Flamen Canora) Audite Triarii
Quacunque ſtatis, Principeſque
Militiæ reparate Bellum:

Ceſſatis? en quâ ſtrata jacet ſpei
Columna: vos huc (ne pede proterat
Vis inſolens) conferte vires
(*O Satrapæ*) glomerate turmas;

Iö Triumphe, Numen iö ſuis
Præſens Miniſtris! En vigor influens
Deſcendit altè quo GOTHORUM
Se explicuit redivivus ardor:

Tunc ſors Duelli verſa, recruduit
Vindicta Suevis, & Dolor, ac Pudor
(Probri inſolentes) his adactæ
Cuſpidibus rabidæ Phalanges

Vi pertinaci (cedere jam Scios)
Hoſtes prementes, Martis adoream,
Regem & reportant ; ſed Cadaver :
Sic placidis Deus aſpra miſcet.

Ad mentium omnem qui ſe habitum applicans
Fit manſuëtis Parma clientibus,
Duris flagellum; at non receptum
In Fœdera deſtituet Popellum

Vindex fidelis, Propoſiti tenax
Veracis, Iræ perpetis abſtinens,
Proclivis in pactum, ſcelus per
Indomitum niſi factus obex :

Hic fomes irarum, hæc populi fuit
Labes vetuſti (quin fuerit novi)
Utriſque fortunæ procellâ
Suſtulit hoc apicem rapaci ;

O Stirps virorum fœdifraga, O Deus
Zelota, O mens decidua, è ſinu
Cœleſti, in artus (heu) caducos
Sontibus & citò rapta terris.

At non inani munere vixeras,
Parvum aut peractum eſt curriculum tibi,
Utcunque pernix, plena geſtis
Magnificis tua vita fluxit ;

Nec hinc inerti Funere ceſſeras,
Raptumve præmatura tulit dies,
Utcunque procumbens, jacebas
In mediâ quoque morte victor :

O vitâ amœnus, funere amœnior,
Utroque Claris clarior omnibus,
Dos magna Divini favoris,
Deliciæ generiſque noſtri,

Dilecte præſenti (unice) ſæculo,
Mirande ſeclis (maxime) poſteris,
Tibi quid æras hæc tulitve
Par, veniens feret aut ſecundum?

Te ſtans in ipſo culmine Celſitas
Humana, puncto à præcipiti means,
Revergit in declive fundum,
Ardua tecum hominum revolvens:

Quid ultrà inanes vivimus, aut die
Tendente in ævum proficimus novâ,
Quid rari (amœnè quo cibentur
Mens oculive) dehinc futurum eſt?

Stant obſoletis ſæcula ſordibus
Incocta, eâdem jugitèr orbitâ
Proceſſus & mundi uniformis
Præteritum repetit tenorem.

Te (ſancte) Te ſperavimus Arbitro
Rerum, recuſum mox fore ſæculum,
Tuoque percuſſum ſub ictu
ARCHAICUM effigiari in aurum:

Sed ſpe redargutâ (heu malè credulâ)
Serenioris Tempora laminæ
Ceſſere retrò, tecum & unà
Sub rigido jacuêre Ferro:

Ingens

Ingens Ruina! at tanta quis Hercules
Succedat in ſuſcepta Vicarius,
(Virtutis Hæres) quis labores
Experiatur Adolphianos?

Ecquis nefaſtâ nunc prohibet dape
Avem Imperatricem, aut ſtabuli gravis
Fimeta purgat, ecquis Orcum
Prægravat, aut humeris caducos

Suſtentat Ignes? exoriare jam
Sperate vindex, Auſpice qui Deo
Molimen abſolvas Adolphi, his
Inferiis recreeſque Manes.

Ad BERNARDUM Ducem *Saxo-VVeymarenſem*, ut tantis Inceptis (IMPERATOR Vicarius) ſuccenturiari vellet.

Paræneſis.

A Des benignis auſpiciis, diù
Quæſite votis; Te COMITEM advocat
Fortuna victrix, Te DUCEMque
Cauſæ animet potioris Omen;

Te PATRUM opimus proſequitur Favor,
Te ſupplicantum vota QUIRITIUM,
Te MARTIS obnubens APOLLO
Expediet per Agona ſalvum:

Non Pindari vis, non deerit flagrans
Tyrtæia Pallas, jam te acuet minax
Alcæus, aut Maronis ardor,
Mæonidiſve tubæ Celeuſma:

Exurge

Exurge Fœlix! nunc age muneri
Aſſuesce magno: Te Pietas ſuum,
Velitque Libertas patronum
Te Themis ægra, jacenſque legum

Vis: de ſupernâ allabere Machinâ
Præſens Levamen, Dius & arbiter
Succurre Germanorum iniquis
Caſibus, & tueare raptos:

O Rebus expectatus in ultimis
Secundus auſpex, ne tibi credito
Diffide Marti, quamlibet Fæx,
Et meretrix malefida vanum

Dixit Sacramentum; at ſibi conſcia
Recti Iuventus, at Patriæ Patres
(Verax Senatus) quiſquis alto
Faſque fidemque fovet receſſu,

Hærebit arcto Fœdere, dicet &
En veſter (Heros) raptor in Atheos,
Cultûs Sophiſtas perduelles,
Sacrilegos, homi-patricidas.

Voti tenacem non populus Stygis,
Circum vel atri ſi Proceres fremant,
Non rore Lernæo tumentes,
Sive cruore Hominum phalanges,

Non Syderum Vis, Libraque Scorpio
Permiſta (blandùm) non (violentior
Fati Miniſter) Imperator
Heſperiæ metuendus oræ

Avellet unquam milite de tuo,
Signis videbit meve ſub Hoſticis
Contra merentem; ſic ſupremo
Arbitrio, volitumque noſtro:

O Bellicæ cui ceſſit Apex Rei,
Salusque charæ credita Patriæ,
Quem culmen provexêre in altum
Certa fides ſuperanſque virtus;

Laborioſis Dexter honoribus
Incumbe Præſes, muneris aleam
Periculoſi ſorte amicâ,
Conſilio & moderare recto:

Solenne percrebreſcat Acroáma
Uſque excitatis auribus inſonans
Vide IMPERATOR *ne quid atrè*
Publica Res capiat Ruinæ.

Curis fatiget ſollicitum piis
Squalor Parentis, Vinclaque libero
Injecta Collo: ſolve nexus
Sacrilegos, gravibusque preſſam

Laxa Catenis; erige Cernuos
Uultus, peruſtas compede ferreâ
Suras, & indignis notatum
Stigmatibus latus expeditus

Dimitte Vindex, Loraque perfidæ
Innecte Genti, nec citiùs furor
Ingens reſidat quam pudendas,
Compuleris ſubiiſſe Furcas:

Hærentem ocellis Morphea ſummove,
Bellique adurgens (pervigil) exitum
Ad Arma conclames, ad Arma,
Nec domitor domituſve ceſſes,

Marcellus ut trux, Cæſar & impiger:
Hâc emicantis compita gloriæ
Cum Sole procedent Eoo
(SAXONIDES) in aprica Famæ,

Vivaxque Leuctræ cedet Honos tuo,
Et Mantinææ Partus Adoreæ;
His (vivus) Actis elabores
Ipſe tuis ſupereſſe fatis;

Heroico ſic conſule Nomini,
En ipſe cæptis deſuper annuens
GUSTAVUS, integros honores,
Suique prius tibi ſpondet Omen:

Sectare *Adolphum*, (Dux bone) prævium,
Te nos ſequemur; ex Aliis tuam
Deſume Fortunam, aſt in iſto
Cerne piæ Paradigma Cauſæ,

Huc tendat Arcus; ſit Pietas Scopus,
Sagitta Bellum; *hoc*, *hanc* velis aſſequi,
Datare mox Natos in hoſtes
Miſſilia, igniferumque Plumbum;

Germaniam armis interea *tuam*
(Columna) fulci. Pax ubi Patriæ
Aſſerta (GUSTAVI ſublevator)
Romaniam, Thraciamque ſternes.

Ille ergo raptis (nudus) honoribus,
Et decidenti a vertice Laureâ
Perſona, cultum exutus, ingens
Per vacuam fugit umbra Scænam?

Quo quo Triumphi, Solis & æmula
Lux, quo vigentis vivida Brachii
Virtuſque, roborque, & gerendo
Cura ſagax, Animuſque Bello,

Victoriarum & perpetuus tenor,
Lætique clangens Echo Celeuſmatis,
Triſteſque Captivi, vagæque
Quonam abiit breve Schema pompæ?

Indigna clades! occidit, occidit:
Sileſce Rumor (ſi pudor) hoſtibus
Nec erubeſcendi innoteſcat
Dedecus opprobriumque carus:

Sin propalandus, Dic age (Veritas)
Sublimis, acer, candidus, integer,
Rex ſuavitatum; Aſſertor æqui,
Principum Apex, ſine fraude virtus,

Athleta Chriſti, Chriſtiadum (heu brevis)
Spes, Septicollis Proſtibuſi Tremor,
Cæleſtis ardor terrâ inerti
Procubuit ſine mente truncus:

Heu fugacis Gloria ſæculi
Diffluxit omnis: dedecus in vetus
It Ordo naſcens, Luxque Rerum,
Sarcophagoque abolentur uno

(GUSTAVE) Mundi (in Te) migrat integri
Contracta Imago: Quid Reliqui foret
Cum cedis, heu Sydus caducum in
Primigenas Atomos relapsum:

I Cassa Lampas, I Decor aride,
Illustre quicquid, quicquid amabile est
GUSTAVUS Augustum omne secum,
Atque suäve, tulit SVEVUS.

Cum Vasto Inani jam solidi est Nihil
In transitu umbras desine persequi,
Tantum Optionum *veritatem*
In Patriâ invenies (Viator)

Sed cur ferenti defluus alveo
Volvor supinus in mare Balthicum?
Desiste (Clio) nave inermi
Vorticibus dare te, & Procellis:

Te provocat, te Dulce periculum,
Discriminosæ Merxque peritiæ
(Lyrane) dextrè ut grande munus
Callidus expedias Magister,

Mihi at *volenti* vis Animis minor
Obsistit, aggressu invalido monens,
Actam occupem, quassam sonanti
Et sale nunc recreem Carinam.

FINIS.

IN
INSIGNEM
OBITUM
PATRICII CARI
Epicedium.

——Non ego te meis
Chartis inornatum ſileri,
Totve tuos patiar Decores

Impunè (CARE) carpere lividas
Obliviones; Pectus erat tibi
Rerumque prudens, & ſecundis
Temporibus, dubiiſque rectum.

Illuſtri ac erudito Viro, *THOMÆ HATCHERO* Armigero, Honorabilis Curiæ Parliamenti Membro Digniſſimo, & pro rebus Provinciarum Borealium Delegato, S. P. D.

EX Genii tui jam olim habito ſenſu, plus quàm conjecturâ aſſequi mihi viſus ſum (Vir Ornatiſſime) *te Mortuorum conſuetudine libenter frui; Quod ut hujus Dedicationis anſam mihi præbuit, ità Iudicii tui Gravitas, &* Occupationum Publicarum *moles tibi incumbentium, ſcrupulum mihi injecerunt, ne & operæ meæ, & tui Temporis, intempeſtivo hoc officio, jacturam facerem; ſed hæſitantiam omnem expulit experta tua* Humanitas, *& amicæ interpellationis, (ut ut importunæ) patiens Animus, meque quo minùs à Propoſito diſcederem penitùs perſuaſit. Quocirca Hoc* Iconographon *& meæ erga te obſervantiæ Indicem, & tui erga defunctum Deſiderii Fomitem præoculis tuis ſtiti conſpectandum. Multis Illud certè quidem anterioribus Annis, levi-*

denſi

denſi Minervâ inchoatum, & non ita pridem (repetente ſæpiuscule Tabulam manu effigiatoriâ) prout tulit Artis inopia, abſolutum : Temporibus profectò ſub utramque molitionem difficilibus, & periculi plenis, in quibus ut Patricii noſtri ſpiritus in compluribus (ſuæ præſertim Claſſis, & ſodalitii Ariſtarchis) reviviſceret, peroptandum foret. Quod ſi Colores hi mei & Graphium Pictorium ſtupida Lethæi laticis aſpergine non circumfluerent, jam diù defuncti hujus Æternitate *dignam memoriam in lucem produxiſſem, & experimentum feciſſem, an gratiarum ipſius efficaciſſima Suada,* (per quam mortuus adhuc loquitur) *Superſtites Indigenas in imitationem Sui raperet. Erat enim in illo viro fœliciſſima Animi Craſis qua Res difficulter ſociabiles miſcuit,* Prudentiam & Simplicitatem; *quibus Adminiculis vitæ ſuæ rationes & acerrimè delegit, & ſyncerè ac veraciter præſtitit, Suſcepti ſui nec verſipellis Deſertor, nec Prævaricator perfidus ; deterrimum (teſtor Fidem) Perfidiæ genus, utpotè quod (prætextu) receptam in Tutelam* Veritatem *mentito Patrocinio prodat, & ſub* Innocentiæ *involucris in ipſius perniciem (ſimulatione omni modo deteſtabili) inſidietur.*

Faceſſant (utinam) ex Bonorum conſortio Hi plus quam aureæ ſynceritatis ſubærati Artifices, iſti (inquam) non VIRI *ſed* Perſonæ, *non veri Integritatis* Actores, *ſed concinni ſpecioſæ Fraudis,* confectores, *& ſubdolarum ſuarum mercium inſtitores precioſi;*

cioſi ; *Scænæ apti nati, non* communi Utilitati. *His ego* Picturis Cari *noſtri* Ἀνδριάντα, *non tanquam Apellis* Venerem, *aut Protogenis* Jalyſum *Artis Mangoniis Venditatum, ſed genuinis* (ὡς ἐν τύπῳ) Archetypi *lineamentis inſignem, & venerandum opponere decrevi, & velut Mercuriales illæ ſtatuæ (ambiguorum Tramitum certi deſignatores)* Digito *monſtrare, Edicereque* Hic eſt: *Nec enim mihimet celebritatem, ſed* iſti *(utpote Publicæ conformationis Exemplari) ambio. Quod ad Me attinet, cupiens potiùs ſub* Anonymi *Patrocinio deliteſcere, quam per malignum ſiniſtræ famæ lumen notabilis fieri, ne fortè dum non tam* Viri *quam* Virtutis *iſtius Effigies Dignationem apud Poſteros merebitur, mihi interea imperito Artifici, præter temerè ſuſcepti & malè præſtiti operis ignominiam, nihil prorſus mercedis perveniat, ſin autem (quod haud facile ſperaverim) per Hanc meam ſubſecivam Diatriben aliquantulum Emolumenti in Publicum emânaſſe intellexero, non obſtabit Nominis mei ſubductio, quo minùs* Conſcientia *ſerio ſibi gratuletur, quod* Alieno *ſaltem ſubſidio* Reipublicæ *profuerim, Cui, ne proprio Miniſterio utilis eſſem, Scævus utique mecum coortus Genius fataliter obſtitit. Recipias præterea (ſi placet) in ſinum benevolum &* Aliud,--- *Non hos quæſitum* Munus *in uſus, Quippe Nuptiis, non Funeribus deſtinatum, niſi quod* Illud Deus *(ſubjacentium conſiliorum ſupremus Arbiter) in diſſimilem intentioni*

Even-

Eventum contulisset, & Res Capitibus *suis vel maximè dissitas* (Thalamos *dico* & Tumulos) CAUDIS (*hoc est* EXITIBUS) *colligasset, tanquam Syrenem illam Poeticam.--Quæ mulier formosa supernè,-- Desinit in Piscem. Ne omninò rerum specie blandientium* (*sed instabilium, vel etiam in contraria exeuntium*) ἀδιλόπτῃ *innitamur, sed bona certa,* & *permanentia consectemur,* & *in illorum possessionem plenius quotidiè nos immittamus. Quod si mihi fideliter præstare divinitus obtigerit, nec sanè immaturũ* Filii *mei* Funus, Æternum *illius* Epithalamium *maturasse, nec* BRAVII *ejusdem Desiderium me, in Funeris proprii, necessarii præcursoris, amplexum, impulisse unquam pœnituerit. Interea* (*pro Gratiæ indultæ modulo*) *contendam, Apostoli illud* Viaticum (*tanquam* αὐταρκείας *nostræ promicondum*) *per omnia vitæ tædia* & *molestias circumgestare,* 1 Cor 7. 29, 30, 31.

Quæ Vox me in Demigrationis procinctũ conjiciens, impetum simul indidit, aliquam Necessitudinis, *quæ mihi* Tecum *intercedebat, Notam,* & *Characterа Huic quasi* METALLO *incidere, nec non, dum in scribendis Aliorum Epitaphiis versatus fuerim,* & *meum obiter eâdem operâ exequi.*

Amicus tuus Amore & Affinitate
Conjunctissimus, *R. H.*

IN INSIGNEM OBITUM PATRICII CARI Epicedium.

ERgo jaces gelidus cinis, atque exangue Cadaver
(Optime) teque Necis tenor illachrymabilis ambit,
Ergo jaces? Tumuloque tuo, & ſolennibus iſtis
Inſultabit atro Fatum pede; nec tibi quiſquam
Præmia virtutum, & meritos perſolvet Honores?
An forſan tua Rura ſilent quod de Grege nemo
Egregias Laudes, claraeque inſignia Famæ,
Aut iperare queat Decus æquiperare canendo?
Credo equidem; ingenti ſuccumbunt pondere vires
Exiguæ, tenuique arctari Facta recuſant
Eloquio, grandi vix exæquanda *Cothurno*:
Sed tamen ut tantæ tenebroſa Oblivia Luci
Impunè officiant, mihi nec, neque Numini amicum eſt;
Et *Ratio*, & *Pietas*, & *Fœdera juncta* reclamant:

Ergo

Ergo mihi imparibus liceat Conatibus amplam
Materiam verſare, pio molimine vires
Creſcent, nec deerit noſtro Deus æquus Amori
Aſpirans, ſacræ venientque ad vota Camœnæ
Flebilibus Numeris, & fractâ voce gementes
Te Eximium, ſanctæ Te Relligionis Alumnum,
Et Patriæ, Te Cœligenam, Cœloque receptum.
Ergo agite O Muſæ, Geniique, & quiſquis honeſtis
Impetus, inſtinctuſque viges in mentibus Ardor,
Noſtrum implete ſinum, ſtudiis revireſcite, & illis
Quæ Gemina inſeruit geminatis Hoſpita curis
Regia Muſarum Domus, & puerilis Aquædæon.

Sed quis perpetuos altè deducat Honores
(Grande opus, & meruit Rubris quod vivere Faſtis,
Atque vetuſtatis tueatur Pagina victrix?)
Nobis non ea vis: ſequimur Compendia Rerum,
Annaleſque tuos ſtricto compingimus ore.

O decus, O veræ ſpirans Pietatis Imago,
Præteriti Tutela ingens, venientis & ævi
Exemplar, Morum perfecta & Legis Amuſſis,
Pravorum rigidus maſtix, Columenque Bonorum,
Juſtitiæque ſagax Scrutator, & Arbiter æquus;
Ut memorem mentis divina chariſmata, vel quo
Ordiar, aut laudes poſſim compeſcere puncto?
Anne leves annos ſtadia & puerilia primis
Unguiculis decurſa tibi, referamque tenello
Ingenio infuſas Dotes, & Semina læto
Vivida ſucceſſu ſurgentia? Sed mihi nec Mens,
Cognitiove ævi primas percurrere partes:
Quin gravis Uranie, paulò majora ſonamus?

Indolis

Indolis eximiæ ſpecimen mittamus, & umbram;
Pangere fert Animus quid jam maturior ætas
Vexit, ubi ſpaciis cœpit pubeſcere flexis,
Et fallacis iter dubium calcare juventæ,
Quâ regnant ætate Doli, quâ devius Error
Invidias ſtruit, & miſeros deflectit Ephœbos
Mobilis atque Animus vergens in prava, ſuique
Cœcus Amor, vacuum caput & fiducia tollens:
Vanæ finguntur ſpecies, falſiſque libido
Ludit imaginibus, facit & diſtare propinquis
Limitibus fas atque nefas: has provida cavit
Mens tua præſtigias, prenſiſque Erroribus iſtis
Vera tibi rectum monſtravit regula callem;
Luce tibi mentem Deus ipſe afflavit, & acri
Judicio, quo ſubſidio palantia vitas
Et ſtudia, & mores, animumque, & facta ſupernum
Condis ad Archetypum Numenque in pectore geſtas:
Inde ſerena quies animi, menſque alma decoris
Inſpectrix, teſtiſque ſui, populare recuſans
Arbitrium, ſibi læta placeſis, Cœleſtia pernix
Obſequiis pronis mandata capeſcere, nec ſe
Imperiis hominum tradens, placitiſque tremendis;
Non Artes hanc flexanimæ, non Gratia Regum,
Aut rigidæ fregere minæ; per utramque cohortem
Explicuit ſua ſigna, & vultu conſtitit uno:
Quippe Vices, Poſituſque Rotæ verſatilis omnes
Temperat æquanimis (mortem contempſerat olim)
Nec vitæ à trepidâ Rationes Sorte petivit,
Sed cunctas uni dedit inſervire Magiſtræ,
Virtutis pugil indomitus, rigiduſque ſatelles;
Cæterà, deliciæ, peramœna hominumque voluptas
Naſcenti influxit, triplex cui Gratia, & orto

Elicuit Genium, mixtâ Gravitate ſuavem:
Mens ſacra interiùs, Vis & Divina reſedit
Sedatos retinens tranquillâ in Pace receſſus.

Rarus ſermo illi, ſed nec ſtupidive Silentî
Intempeſta Quies reſidive in pectore Torpor;
Effari libuit nam cum ſua ſenſa, venuſti
Sermonis tum partus Honos, nec Gloriæ inanis
Litigioſus Amor Buccas inflavit ineptas;
Pervigil at Cuſtos, lenis ſapientia, Linguæ
Semper in Excubiis ſtans, per Dentalia ſepta
E ſtatione ſuâ, cum juſſerat, ubere venâ
Emanans, Vim pellectis impreſſit amænam.

Strenua vis Animi, juvenili in Pectore velox
Canities quoque mentis erat, Præſagus & ævi
Præcipitis, cupienſque omnes effundere habenas
Curriculo, & rapidam curſu prævortere metam,
Grandia, in anguſto, ſibi deſtinat; indolis almæ
Tum vigor, afflatique ſinus, & mens ſibi Recti
Conſcia, fervebat properata in cœpta, veterni
Impatiens, operique inſtans, plauſuque ſecundo
Prævolitans annos, operâ breve perficit ævum
Artifici, raptisque Animam virtutibus implet.

Judicii ſincera acies, ſubtile & Acumen;
Non illi Errores nitidos, prætentaque pulchris
Fraudibus, & vero ſimili Mendacia fuco
Vafritie temerè *Planus* obtruſiſſet acutâ,
Offuſum aut poterat menti ſubducere Rectum;
Ad certam ſed enim revocans vaga dogmata libram,
Examen verax animi, ſecrevit *Honeſtum*

Turpibus,

Turpibus, atque Boni contemplans ora decori,
Affinemque adhibens Genium, mirantia fixit
Lumina, & immenſos ictus concepit Amores;
Jamque *unâ* virtute calet, jam militat *uni*
Intrepidus, dubiaſque ſuo diſcrimine partes
Sublevat, haud vitam dubitans impendere Vero.

Tum (veluti convivâ ſatur) jam ſufficit (inquit)
Præſcriptos (Excelſe) Dies, ſtadiumque peregi
Quod dederas, ſecedo lubens, & *Lampada trado*
Poſt-genitis, Animamque tibi, nec inutile Funus,
Aut præmaturos cineres dormire ſepulchro,
Atque Tubæ gratum jubeo expectare Celeuſma.

Sic Divina adeo terrenis libera vinclis
Sponte Anima emigrat, peregrino in limite longas
Exilii pertæſa moras, Commerciaque arcens
Perfidioſi Orbis, fædo & maculoſa Reatu
(Nec verſura cutim, aut veterem poſitura Colorem)
Agmina, præfractam celeri fugit alite Gentem;
Nempè infœlices toties experta labores,
Et vim Torrenti oppoſitam, conatibus impar,
Feſſa malis, ſed plena ſpei, & ſua gaudia captans,
Ceſſit & occubitu requiem quæſivit amænam;
Atque immorigeras linquens jam transfuga Terras,
Subtrahit è medio ſeſe, nec comminùs ultrà
Litigat indomitis, ſed quêis virtute *ſuperſtes*
Præſenti haud placuit, defunctus provocat almo
Eminùs exemplo, atque Odio Invidiâque remotus
Acriùs invehitur Sonti (jam mortuus) Orbi,
In *pravum* facilem, invictâ Virtuteque, turbam
Exprobrat, morum libertatiſque Magiſter

Strenuus

Strenuus; ingenuique (olim) Defenſor *Honeſti*,
Nunc jacet; extinctuſque exilibus additur umbris,
Atque novus caſſis ſuccedens finibus hoſpes,
Aſſiduò ad tacitas tumuli brevis accubat Oras,
Turbarum ſtrepitus, exoſaque jurgia linquens,
Emeritus, pactâque *rudem* ſibi morte repoſcens.

At non ærumnis digniſſima Præmia tantis
Diſtituêre pium, vili neque cedere letho
Contigit, aut Nemeſi jacet indotatus iniquâ.
Ipſa, *Sui* Integritas, genuina atque optima merces,
Nominis & ſecura meat, ſibi Laudis ab alta
Materiem virtute petens, ſolidéque reluxit
Fulgoris Fons ipſe ſui, quem fomite certo
Intima vena aluit, nec ſe quæſivit in ore,
Ingenioque hominum inſtabili; Mens cauſa decoris,
Mens eadem Menſura fuit, ſed & Illa Brabeuten
Agnovit ſubmiſſa Deum; Sic nobilis exît
Ambitione carens Animus, Famæque repulſor
Omne tulit Punctum; nec quos Deus auxit honores,
Comminuent Homines, ſecli Livorque maligni.

O Fax indignis modo ſpreta abjectaque Terris,
Nunc Cœli excipientis Amor! Ergo ibis in ignes
Phoſphore, nec nitidos ultrà tua Patria vultus
Exemplique jubar, vitæ & Documenta ſerenæ
Agnoſcet, claros omnique Chariſmate mores?
Hæccine (decurſu ſeclorum digna Perenni)
Abſtulit Hora rapax inopino & Funere merſit,
Et te nulla tuæ poterat Dos inclyta mentis
Sarcophago prohibere truci, Fatique ruentis
Saltem avidum tardare gradum, ne Inſignia condat

Tanta

Tanta repentinis nox intempesta Tenebris,
Et ferrugineus Lethi Sopor! ite propinqui
(Squalida gens) vacuos nequiequam arcessite luctus
Lugubresque sonos, & murmur triste cientes,
Morte triumphatam virtutem plangite, nullis
Parcentem & Parcam meritis precibusve reflexam
Omnimodas miscere neces; sed quo gravis æstus
Abripiensque Dolor? tumidi subsidite Luctus,
Effrænique animæ motus, Pietate Vagantes,
Et Ratione simul; Ritu Te flere profano
Nec tua certa salus sinit, aut spes vivida nostri:
Siquis mortiferas (vivens) exercuit Artes,
Nec male susceptis resipiscens cesserit ausis
(Deponens immane odium, & sua Tela Tonantis,
Opposita) infestos obitus, manesque tremendos
Horreat Is moriens, confusis Funus & expes
Usque dolore mero deflendum linquat amicis;
Te lugere Nefas, quiâ nobis quamlibet ingens
Attulerit Damnum, Tibimet tamen exitus ipsi
Opportunus erat, (Stadii Finitor anheli,
Præmii anhelati Oeconomus) stetit ergo tenaces
Illicò perrupisse moras, saltuque Sepulchri
Arctam transiliisse scrobem, & quodcunque caduci est,
Funereâ posuisse pyrâ, quò purior æthram
Spiritus agnatam plaudentibus ocyus alis
Tranet, & optati pateat nova Copia Cæli.

Hoc grave propositum est, hæc mens; *sic, sic* juvat almæ
Naturæ cessisse, in vitâ & quicquid acerbi est
Morte semel finisse brevi, fructusque perennis
Maturasse spei; Fœlix! tibi vertitur ævi
Scæna fugax, segnes tibi deserit impiger Umbras

Heſperus, atque hilari vicinas Lampade tædas
Indicat, effuſo virgâque ſubinnuit aureâ,
Præſignitque viam Radiis, monſtratque vieto
Juge *Refrigerium*, æternamque in ſæcula pacem.
Tu (divine) flagrans mercedis Imagine tantæ,
Ingentique ictus ſtimulo, jam certus amœni
Accubitûs, ſtabiliſque Throni, licet (optime) dulci
Indulgens deſiderio, cupidaſque fovendo
Spes acuens: at at imperitans tibi, conſcia differs
Præmia longanimis, ſubit & quà apprimè decorus
Conſpicuuſque queas populari cedere Fato,
Diſceſſuque Tuis toti & benedicere Genti.

Namque humilis quanquam es, nec inanis percitus œſtro
Gloriolæ, Famæ ſtatuens tamen Ipſe cavere
Omnipotens ſcænæ juſſit ſervire celebri
Migrantem, afflatoque almum aſpiravit Honorem,
Virtutiſque ſuæ ſpecimen Te exponere clarum
Complacuit, ſæclis Pharon & extare futuris,
Et populo elatum venienti obvertere Lumen.

Dic mihi ſacra cohors, muſæ recitate ſupernæ,
Tuque (ſerena Parens) doctas enixa Sorores
Mnemoſyne, quæ finem ævi molita ſub ipſum eſt
Enthea mens; age geſta viri memoranda fluenti,
Immemorique Animo revoca, ſenſuſque tenaces
Nunc adhibe mihi Diva precor, nec Imaginis almæ
(Quam modo conſpicuam divinus prætulit Heros)
Diſpereant caſſæ ſpecies mentemque caducam
Deſtituant, cupidam longævæ impreſſa Tabellæ
Proferre ad ſeros ſpectacula digna Nepotes.
Haud equidem hoc opis eſt noſtræ, tamen auſpice ſummo

Parvulus

Parvulus aggrediar, vos Magnæ advertite Mentes;
Exemplarque recens Icononibus addite priſcis.

Ventum erat ad metas Naturæ; ævique ruentis
Nunc præceps calcabat iter, minimuſque ſolutæ
Jam jam animæ eviguit macilento in corpore fomes,
Cum lutei à damnis oneris cœleſtis Imago
Incrementa trahens, atque his jam facta Ruinis
Liberior, juriſque ſui, ſe expandit, & ipſum
Lumine jam propiore Deum *Specieſque* beatas
Contemplans, & Deliciis ſaturata ſupernis,
Hæret opes diffiſa ſuas, tacitoque retentat
Gaudia preſſa ſinu, quæ poſtquam examine fido
Jam rata repperiit, (ſedato cautâ rependens
Omnia judicio) ſolito tum auguſtior ore,
Vividiorque, almo incolumi gravitate ſereno
Elucens, gravido geſtit de pectore venam
Eructaſſe ſacram, hauſta & myſteria doctus
Prompſiſſe interpres, atque evulgaſſe propinquis
Spectatiſque viris (mirâ dulcedine captis)
Mellitoſque ſonos (quali ſerotinus Imber
Expectatur hiatu) avidâ ſitientibus aure.

Quis mihi *Barbariem* (mendoſi dedecus oris)
Arceat & labes ſermonis; atroſque repurgans
Arte Solœciſmos inamœnæ Opprobria Muſæ
Summoveat, viruſque Styli deſpumet Apollo,
Detque habiles Animos, Linguamque illuſtria tanti
Quæ recolat monumenta viri; quæ digna relatu
Eloquia, & vocis ſuadam deſcribat amœnam,
Divinique leporis opes? Quos impete ſacrâ
Cœlitus inſtinctos (moribundo vividus ore

Oratot) ſenſus effudit, & ardua rerum
Argumenta, rudi minimè temeranda Minervâ:
Cedimus ergo (inopes venæ) at lectiſſima (Amici)
Vos capita, ægroto quos ſors, pia ſive voluntas,
Seu Deus admovit (Tuque O qui major ab annis
Surgis, Sancte Senex, ſacris præfecte Supernis,
Qui præclaræ animæ jam vitæ extrema trahenti
Integrè intereas) vos fidi accedite Teſtes
Et (meminiſtis enim egregii & memorare poteſtis)
Dicite Cygnæos obitus, mox *Se*que ſupremos
Excluſuræ animæ partus; quas pectore curas
Immerſas vigili verbis effudit amicis
Gente ſuper patriâ, quod vitâ exercuit ipsâ
Morte fovens ſtudium, *Fauſta* atque *Decora* precatus,
Et *Pacem* pulchrâ cum *Libertate* vigentem.

Magnò equidem illius valuit *Reſpublica* cenſu,
Res privata parum; ſiquid grave devius Error
Aut pravi manifeſtus Amor, prætentave velo
Vafrities mores integri Principis æquos
Pelliciens in operta doli, commiſit in almæ
Dedecus aut damnum patriæ; propiore medullis
Id ſenſu generoſum animum percuſſit, iniqui
Indignive aliquid quàm ſi quis cuderat author
In ſe Fortunaſque ſuas: heù qualia fixit
Vulnera, quos fibris gemitus expreſſit amaris
Infœlix Rerum ſeries, Cameriſque ſub únis
Diſcordes in vota animi; Fortunaque Regni
Omine procedens lævo? ſed nec tamen ulla
Detrimenta ſui propria aut diſpendia queſta eſt
Muteſcens Anima & toto mitiſſima mundo:
Rimatrix Tu rerum Acies, fideique probatæ

Circumfuſa

Circumfusa cohors, testes cordisque quieti,
Demissique habitûs, linguæ innocuique tenoris,
Principibus quam illæsa Fides, subjecta voluntas.

Hæc Rebus super ambiguis, Civilis & æstu
Imperii effatus, flexo dilabitur ore,
Affinique effert majores impete curas
Zelotypus, subit Electæ certantis Imago,
Et grave discrimen recolit, Facies que laborum
Multiplices, pugnæque modos; Externa recursant
Vulnera, & in propriis plusquam Civilia castris
Bella, animique truces intra Pomœria nati.
Adstupet attonitus Monstris, miserandaque *Sponsæ*
Fata gemit, tristesque vices, & discolor hostis
Ingenium, crudi qui nuc Mavortis apertâ
Grassatur Virtute (ferox) nunc perfidus astus
Consuit, illecebrasque odiis, & Pace Duellum
Subdolus immiscet, dulcesque (*Sinonia* tentans
Aucupia) ambages canit, & tectoria dirâ
Fraude simultati prætendens (Igne favillis
Suppositio) Sanctæ Bustum fatale *Sioni*
Comparat, & laqueum Reginæ innectit Amatæ.

Hos simul obtutu defixo mentis inhærens
Viderat aggressus, primis (incautior) æstûs
Motibus abreptus, densi fomenta Doloris
Compulit, & teneris spinas increscere fibris
Sensit acutus Amor. Quas sustulit Ille querelas,
Quos gemitus, precibusque efflet lamenta remissis
Tristitiæ *Argumenta Piæ*, luctûsque repositi
Indicia? & mentem venerandâ in virgine fixus,
Altiùs ingemuit, nec mollia pertulit ingens

Lenimenta dolor (tetricas effuſus in Iras,
Indignanſque Nefas) donec (revigente viciſſim
Numinis auxilio) ſenſim deferbuit aſper
Spiritus, emotæque animæ tranquillior altè
Tempeſtas rediens perculſos turbine ſenſus
Reſtituit : Quibus auſpiciis ſacra-ſancta (potenter)
Veſtibula ingreſſus, crudos miteſcere Luctus
Edocuit, tenebriſque animo mœroris opaci
Luce novâ pulſis, Fortunæ Numina caſſæ
Summovit mundi Imperiis, & cœlitùs urnam
Quæſitor movet allapſam, foliiſque verendis
Fatidico relegens deſcriptas carmine ſortes,
Tum demum non Fortunæ Res impete ferri,
Motibus impellive vagis, temereque viciſſim
Nocte ſub immensâ laxis concurrere frænis ;
Supremi ſed Conſilio & Bonitate reductas
Agnoſcens Rectoris agi, jam lenior acres
Sedavit curas Animus, certuſque Futuri
Geſtiit, effugium captavit & omine Læto.

Jamque peregrinæ Telluris linquere turbas
Æquius, & patrium allabi mens enthea Cœlum
Velle videbatur, propriaſque prehendere Laurus ;
Nec jam Terra ſapit, nec jam mortalia cordi :
Deperit heu Dulcem tamen *ipſa* in morte Sionem ;
Nec Fax immortalis obit, fraterna recurſant
Damna, Viceſque iterùm, trepidataque Fata revolvens
Pectore ſollicito, jam vota incæpta retractat,
Jam labat ancipiti ſtudio, & ſimul optat *Amatis*
Cuncta pati, & ſociâ ſupereſſe in tædia ſorte
Altus amor ; Quonam hos valeat ſedare tumultus
Conſilio alternans Animæ & diviſa voluntas ?

Exuat

Exuat affectus teneros gravis anxia curæ
Semina, quî poterit ? mediis hæsere medullis ;
Incubet expansis studiis ? imbellia sentit,
Nec sibi fidit Amor ; quid agat ? prece fretus inermi
Rem peragit, validum in partes asciscere Numen
Supplice jam virtute parat, sic Ardua Fatum
Mens subigens, solidæ tanto stetit obside pacis.

Qualitèr Hebrææ Decus, & spes maxima gentis
Jessiades (cum jam vates Diadema fidelis
Regale & spondebat ebur) Promissa libenter
Arripuit, facilè tantoque Authore quievit
Prima Fides, steterat sortis dum mitior æquæ
Temperies ; refluo sed postquam exercitus æstu
Fatorum inversam Seriem, diramque Tyranni
Sævitiemque, astumque, recedentesque suorum
Sensit amicitias (tanto in Discrimine Rerum)
Hæserat inclinata Fides, sibi visa nimisque
Credula, mendacem propè (præfestina) Prophetam
Arguerat : sed Pollicitis incocta supernis,
Iamque assueta jugo, seclusis sensibus, ipsum
Consulit ægra Deum, documentaque Temporis acti
Præteritosque annos recolens, hærentiaque ipsis
Eventa Oraclis : velo se excussit aperto,
Præsentem, agnoscensque Deum, nutuque supremo
Tempora, dispositasque vices, certo ordine totam &
Rem peragi, veneratus opus, divinaque passim
Indicia, hâc trepidos animi compescuit æstus.
Haud secus erupit nostras è nubibus Heros,
Fretus ope assimili, sensusque excussit opacos
Experrecta Fides Precibus, Mentisque retectæ
Subsidio (Rebus vero nunc lumine visis)

Tum penitùs fatale malum, atque incommoda Dio
Invecta Arbitrio rescivit, & Auspice magno
Certari, fessæque statò fore tempore Sponsæ
Dulce refrigerium certasque per Ardua Lauros:
Jamque novam è speculâ, mutato Dramate, Scænam
Prospiciens, animo exultans, alacerque vel ipsâ
Morte revixit ovans, atque aurea Fata salutans
Eminùs, in tantos cuperet supersse Triumphos,
Numinis obstaret nisi *Re testata* voluntas,
Et Pax plena sui; votis volat ergo citatis
In Desideria augusta, immensosque superni
Conjugis, æquatis studiis, suspirat Amores.

Tunc Animis Pax alta fuit, cessavit & æstus
Ille voluntatis trepidæ, ruit (agmine pleno)
Alveus Arbitrii unanimis, *suaque* amne secundo
Vis victrix momenta premens, *Aliena* remisit
Consiliis ducenda Dei: Jam assuescere puris
Mentibus unus Amor stimulans, in sedibus altis
Totus erat, cupideque suos quæsiverat Ortus.
Quæ tunc Telluris fastidia, qualia Cœli
Vota, paresque animis facundâ à voce loquelæ
Defluxere, *Aliquis* ceu vellet ab æthere *Divus*
Exertâ Cervice loqui? Stetit Orbis in orâ
Ambigui Divina Anima, & *medioxuma* utrique
Interjecta acies (jam nunc Caligine sensûs
Exule) discernit variantia Schemata Rerum
Acriter, & Linguâ tacitos interprete motus
Promens, haud ignota aliis (*neque nota potenter*)
Argumenta novis stimulis super incutit author,
Edoctique docent experta Oracula Renes:
Scilicet allibuit morienti edicere verum,

Quæ

Quæ simplex Natura adeò, quæ subdola Rerum
Forma, quis est Genius, quàm discolor (*albus & ater*)
Fortuiti occcursûs, quàm se citus Impetus aufert
Fluxi apicis, quam sors divini firma Favoris,
Quale Necis lucrum damnosæ quæ mala vitæ,
Indicat instincto vates *authenticus* ore;
Sed quorsùm Decora alta viri, atque Insignia coner
Dicta Sigillatim curis proferre minutis?

Omnia quæ priscus vitâ cedente *Jacobus*
(Concessu consanguineo Sobolisque Coronâ
Undique stipatus) tremulo jam languidus ore,
(Sed vegetâ virtute senex) *Apothegmata* sudit
Aurea, & in seros voluit stillare Nepotes,
Ille canit, fessusque supremos integrat Antes
Cantibus immoriens (ut in odas guttura solvens
Friget olor) cœlo requiemque petivit amænam.
Innuit assensum Deus: & jam pronuba Signum
Fax dedit, atque Sinus Radiorum inclaruit auctu,
Sponsique accessum luculenter adindicat almæ
Tempestatis Honos: Jacuit surdo immemor ille
Deliquio, Lethumque professus, ferrea fixit
Lumina, nec refluos dederant spiracula flatus,
Vitave mobilibus saliebat prodita venis.

Conclamatum abeunti Animæ est, votisque meantem
Prosequimur, visusque adeò delusit hiantes,
Persuasitque animos tam vivida mortis Imago:
Cedimus Excelsæ imperiis, & debita functo
Munera molimur, Lamentaque mixta supremis
Addimus officiis: Gemitus exaudiit istos
Eviguitque redux excussis Spiritus Umbris,

Et

Et lenè evigilans (quali placidissimus olim
Aspectu enituit) consueto augustius usu,
Majorique animo ; submissâ at voce susurrat,
Quò lamenta mei ? importuno absistite fletu ;
Non equidem hoc merui ; Tardi jam panè tenaces
Corporis evasisse moras, mediumque reclivis
Exhausisse viæ supera ad convexa videbar,
Et Faciem strinxisse Dei : quin parcite (Amici)
Parcite jam Lachrymis ; non hæc in Fœdera veni ;
Prævolo, longaminis ne spes modo desere fessum.

Scilicet est aliquid fædas posuisse lituras
Naturæ, vitæque, sacroque exercita cultu
Nil concîsse sibi, volitæ admisisseve culpæ
Pectora, & assiduo Licitis assuescier usu,
En operæ precium tantis sudoribus ingens,
Perruptas Acherontis opes, Patefactaque Cœli
Limina, & æterni præcepta stipendia mundi ;
Et dubitamus adhuc Pietati impendere curas ?

Magne Pugil ! quî te Genio ascitoque vigore
Pollentem ingratâ laudem malè sedulus arte ?
Attamen (ô vires meritis egresse minutas)
Accipe quod Pietas, quod vis ipsissima veri
Suggerit Elogium ; *Insignes & morte decoros*
Vidimus (O cives) aliquos, percepimus aure
Complures avidâ ; Qualem Tragnovimus ore,
Et sermone (Decus) prorsus non novimus ullum,
Vix almi Rumoris amœnâ accepimus aurâ.
Utpote qui plusquàm mortali robore fretus,
Perfecisti obiter, velut alta per otia mortis,
Militiam, atque Æstu leni defunctus in Umbrâ es

Qui

Qui clades Naturæ, Orci ſtrepitusque tremendi
Haud alio intrepidi excepiſti Schemate vultûs,
Sermoneſve alios agitaſti (mentis, & oris
Libertate impunè fruens) quam cum *gravis* ædes
Iuridicas, ſocios inter, Populare vel olim
Ingreſſus Puteal, ibi ſancti Suaſor & æqui,
Libera civili retuliſti Senſa Coronæ.

Magna quidem tantis *viventis* Gloria geſtis,
Magna tui *morientis* erat, ſolidumque peregit
Funere Laus perfecta orbem, & ſibi conſtitit unà
Vitæ omnis ſincera fides : Agnoſcimus iſtos
Divini decoris Titulos ; Sacramus honores
Apprimè ergo tuos ; ſed enim ne promere *ſolos*
Conemur, *ſpecioſæ Animæ* atque affinis Imago
Obſtitit, & ſimili clareſcens *virgo* nitore.
Hunc obiter dabis ergo (Decus) clepſiſſe Laborem ;
Pauca tuæ tibi (magne) nec invidioſa MARIÆ
Carmina ſunt dicenda, Fratriſque Sororia Fatis
Fata ſimul texenda : ſed & Tu ignoſcere (lenis
Diva) velis tentanti Alieno includere verſu
Digna quidem propriis ſpaciari Encomia Schedis.

O dilecta *tuo*, & ſi quid mea carmina poſſint
Oſque tenax veri, ſeclis celebranda *futuris*,
Invalidi ſexûs Præſtantia, ſtemmate pulchro
Quam non indignam clari genuere Parentes,
Degeneremve adeò, propriæ aut virtutis egentem
Fælices normâ tantùm inſtruxere beatâ.
Exemplis aut indigenis cinxere Penates
Materiam dantes Elementaque prævia Laudum :
Omnis in Eventu crevit ſpes, vitaque tantis

Om-

Ominibus tibi major erat, ſuperavit amicum
Naturæ Genium Arbitrii Spontaneus ardor,
Atque Animâ in ſanctâ patuit Deus : haud tibi cultus
Humani, infœlixque labor præcordia finxit ;
Artificem indigitabat opus, referebat & ipſum
Archetypum elucens formoſæ mentis Imago,
Et vigor, & probitas, & Numine digna voluntas.

Ipſe tibi Deus eximios affudit honores,
Ipſe ſuas divifit opes, nec ſimplice venâ
Cælitùs influxit, variâ ſed Dote reductam
Temperiem ad punctum (veraci examine) ſiſtens,
Contecit juſtum, Librato in corde, Tenorem.

O quam te memorem! Cui plus quam maſcula virtus
Fæmineo diffuſa ſinu, neque *dulce* fugavit
Ingenium, Dotumve Animam Excellentia *lenem*
Reſpuit, ingenuoſve Sagacia pectora mores,
Nec præceps tumor, aut propriæ admiratio Formæ
Diſtrinxitve ſupercilium, aut faſtidia Plebis
Spiſſa piæ peperit ; Tua laus te ſola latebat,
Extera prominuit, ruleratque (vel infima) plauſum :
Cenſuram (in te ſumma) tuam ; ſine fraude, Petitrix
Virtutem ambiſti ; Famæ Cretata nec auceps
Subdola (ſummotis aliis) ſuffragia *Dextrâ*
Oreque captaſti ; vacuâ contenta ſub umbrâ es
Præſtare, & taciti plauſum meruiſſe Theatri.
Reppuleras turbam, Faunis nec operta venuſtas
Proſtabat, ſoli luſtranti corda *Jehovæ*
Innotuit, tibi vix propria intellecta ſupellex,
Quinetiam uſque ſuo latitaſſet Gratia tecta
Flammeolo, meritis cedenſque Modeſtia nullis,

Invictusque Pudor, Virtutis & inscia virtus
Luci offeciſſent propriæ, niſi morte propinqua
Vis agitata malis, Diſcrimine & aucta ſupremo
Se concuſſiſſet, tandem ſibi & agnita virtus
Omnes explicuiſſet opes, *Iconaque* pulchram
Mentis inoffenſæ oſtendens ſic denique puro
Mirantes oculos feriiſſet lumine: Quantus
Tunc Decor ô Superi! voſtrum quantum inſtar in illâ,
Qualis honos ſpecieſque Animæ? præluxit amæna
Fronte ſuis ſpes viva Notis, nec amabile Lumen
Polluerat ſuffuſus Atror, tranquilla ſed alto
Tempeſtas in corde habitans, nulloque fatiſcens
Deliquio, ſtabili ſtetit inturbata *Sereno*.

Qualiter hibernâ rediens cum Phœbus ab Arcto
Paulàtim invaluit Radiis, æſtuque ſecundo
Obſtantes nebulas, pluvii integumentaque roris
Summovet Inſigni facie, Eximiorque videtur
Quotidie, aſſiduas & aprico tramite Vires
Colligit; At rapido ſimul igne *Leonis* amicum
Sydus init, cunctas extemplò exterminat umbras,
Atque à Lucifero occiduum dum intraverit æquor,
Integro axe micat; Talem dabat ore nitorem
Virgo ſerena *ſui* tergo ſubvecta Leonis;
Hæc fuit ad Cœlos animæ aſpirantis Imago.

Hoc erat ærumnas in amæno Flore moleſtas
Teque jugum voluiſſe pati, atque incommoda vitæ?
Hoc ægros ſine ſole dies, ſine munere Noctes
Atque ſuo non rarò agere, illecebriſque libenter
Abſtinuiſſe citis, tetriciſque aſſueſcere Normis,
Ut tandem his actis poſſes ſudoribus altæ

Cor-

Corripuiſſe apicem metæ, brevium que Laborum
Juge refrigerium? mens prudens! ſcilicet *hoc* eſt
Hoc ictus voluêre Sacri, ſtudiumque ſecundum,
Tædiaque, angoreſque, & voti mira Cupido,
Nec non a triviali abſcedens ambitus uſu.

Sic ingens Stadium contracta expleverat ætas,
Inque arcto immenſum patuit, menſuraque vitæ
Cum *virtus*, non *Tempus* erat, tibi vivere *multum*
Conceſſum eſt, aliiſque *Diu*, præclara Serenum
Fama brevi confecit iter; mihi jamque ſtupenti
Officit illuſtri merito: ſis (obſecro) functa
Virgo levis; nec enim ſat eras perſpecta *ſuperſtes*
Nec mihi culta ſatis! Siquid tamen (optima) grandis
Solvimus officii (tenues) fuit aut tibi quidquam
Viventi non vile *meum*, gratamur Amori
Fælici; Cultu nimis at ſi defuit *olim*,
Nunc laudeſque, *meoſque* Rogo ſervabis Amores.

Sed quorſum effuſas (cordis libamina) Laudes?
His opus ergo tibi eſt, Animæ *tantæque* litatur
Tantillis Titulorum umbris? ignoſcite manes
Cælicolæ; haud *vobis*, *noſtro* damus iſta feroci
Sed *Deſiderio*, ſiquâ his miteſcere poſſit
Artibus, & nimias agitando obtundere flammas.
Heu mirum affectûs ſufflamen, Amoris & ægri
Lenimenta, Ipſo'n in fomite deficit ignis,
Deliciaſque inter viſas ſuccumbit Orexis?
Mitte ſupervacuos, ingratos mitte labores;
Sat ſtudio indultum eſt, operæ *nimis*; Alma vigebis
Vi propriâ, memoresque *tui* ſacrabit Honores
Poſteritas; *Salve æternum mihi*, Cœlica Virgo,

Æternum-

Æternùmque vale. Nunc (ô Dulciſſime Rerum)
Primo culte mihi, verſu recolende ſupremo,
Circumagor, veſtro *aditum* reddarque ſepulchro.

Nec jam fleturiens redivivos Nænia queſtus
Integrat, obſtipuſve hærens in Funere vultus;
Aut luculentus Amor (ſine Spe, ſine Mente fatigans)
Sollicitat Manes, *manibuſ*que repoſcit ademptos;
Non mihi ſic repetendus abis, nec jam Duce ſenſu
Te ſequor; en divine, premo, ſed *mente volanti*,
Æthereum præeuntis iter; Tuam & ambio Metam
Iam mihi; *compreſſo* tibi gratulor, atque ſecundis
Plauſibus ad cœlos migrantem proſequor umbram,
Et vitam inſigni Famæ tranſcribo ſerenam.

Semper vive DEO, bene vîxti qui modò MUNDO;
O *Cœli* & *Telluris* amor! quo, quicquid utroque
Èluxit ſpecioſi, Animam tibi ceſſit in unam,
Eminuitque palàm: Divina Chariſmata, Morum
Lumina, propoſitique tenax conſtantia recti:
Nec viles (mango crepitans) circumſtrepo merces,
Invidus aut aliis, *Te* blando Carmine palpo;
Non ita me inſtituit Cultus, Naturave finxit,
Nec *Sua* demo aliis, aut non *Tua* do tibi (Gentis
Grandis Honos Columenque tuæ) aſſenſere ſodales
Unanimes, *punctoque* ultro agnovere frequenti
Compoſiti jus faſque animi, fœlicia Dotum
Munera, & impenſos *æquo ſanctoque* labores;
Frænatum Pietate Scelus, Fraudesque Sereno
Excuſſas Oculo, *Aſtræam* Tellure receptam
Indigenâ, totoque extorres Limite *Diras*
Vidit, & (arridens) Linguis Studiisque favebat

Altè

Altè inſtincta cohors; obliquo Lumine tantùm
Livor, & Impietas animiſque excepit iniquis;
Heu meriti præluſtre decus laudeſque nitentes
In morbi fomenta trahens; ſed nulla malorum
Aſperitas pollentem animis exterruit; ipſis
Virtutem exacuiſti odiis, forteſque juvabat
Concuſſiſſe ſimus, petiiſſe & ab obice vires:
Quâ licuitque tuo fluxiſti æquabilis alvêo;
Turbidus interdum à Remoris, atque acrior ibas;
Ut vero oppoſitus curſum præcluſerat agger,
Moleſque obſtabant penitus, tunc Fluminis æſtus
Occidiſti in cæcas ſeſe immerſiſſe cavernas
Viſus eras, ſuperoſque (latens) emerſit ad ortus:
Sic (vagus) errores refluos, & anhela laborum
Curricula æternæ ſiſtis ſtatione quietis.

Sat jam Pierides ægro indulſiſtis Amori,
Sat Deſiderio: Irriguos jam *claudite Fontes*,
Claudite; perpetuus ne vultus obruat imber,
Aut albâ ſub Fronte animus mihi lugeat ater.
Ite graves Curæ, nimiique faceſſite Luctus,
Singultuſque frequens vani & Fomenta Doloris
Nænia, pulla Chlamys, Queremonia, Præfica, & omnis
Pompa ſepulchralis, turpeſque ad Funera Ritus;
Ite leves Augæ, *Noſter* non talia curat;
Nunc libet effuſos ſyncerè ſiſtere fletus,
Nunc canere *Euge! Triumphe!* Tuus ſed inane Celeuſma
Spernit Honos: *Salus Morti eſt bona vita Triumphus*;
Hactenus *hanc* graphicâ volui proferre tabellâ;
Sit *voluiſſe* ſatis: Nunc ô Nece grandior Heros
Vive, vale, profit tibi Mors tua, vita *propinquis*;
Quin & in immenſo pergens crebreſcere Mundo

Inſtruat

Inſtruat uſque novos rediviva recenſque Nepotes.

His cultor tuus Ille tuis *Vir magne* parentat
Manibus exequiis, Tumuloque incidit honores
Heu veros! Meriti ſed Majeſtate minores:
Sed tua non Statuâ, nec inanis munere Cippi,
Aut humili Præcone, haud defenſoribus iſtis
Laus inſignis eget, ne mortis livida Damnum
Vis ferat, aut ſtupidus Tenor illætabilis oræ;
Ipſa tibi memores vitalis Pagina Faſtos
Servat, & æternos Deus uſque inſtaurat Honores;
Nec ſenio exhauſtum ſinit evaneſcere Nomen;
Quin *propria* in Famæ tibi propugnacula *virtus*
Sufficiet, poterit *Lethemque* fugare ſilentem
Ne piceâ obrepat claris fulgoribus umbrâ.

Nos Hoc *Officium* conatu (utcunque) Fidemque
Solvimus, imparibus ſed vix benè ſolvimus auſis,
Ingenio Exili grandes minuente triumphos.

Credite *præſentes* Lectores, credite *Seri*,
Haud Nebulas loquor, aut dare pondus conor *Inani*;
Sed *Res* ore premo tenui, ſiccâque Camænâ
Sobrius, & nullo inſtinctus phanaticus œſtro:
Crede *Tibi*, vacuo *Teſti* ne crede viator;
Percute, nam ſolidâ reſpondent omnia Famâ,
Nec ſincera Fides ullo vitiata Colore eſt.

FINIS.

HAC *amat* OBSCVRVM





FLoride! quem voluit quinis ostendere Lustris
Indigenis charum conspicuumque Deus,
Quem *Tempestus* Amor, *Formæque Animique* Venustas
Suasit in Ingenuam demeruitque PAREM,
Cum speratus Hymen croceo properavit Honore,
Flammeolumque manu Sponsa parabat acri,
Lætus & Ipse *Auspex*, tibi jam (votiva) peregi
CANTICA, ad Ausoniam consona facta Lyram.
Proh moreris; *Prælum* pœne & labor iste fefellit,
Excidit & Curis *Bibliopola* meis.

Sed non ista tui frustrant mihi munera *Manes*,
Extinctum *occubitus conjugiumve* dedit,
Confecit meliora tibi connubia *Clotho*,
Æternumque *Typus* cessit in *Archetypum*.
Non nisi per Simulacra, offusaque Schemata rebus
Mortali quadrent Cantica tanta jugo:
Non opus *audaces* at nunc posuisse Figuras,
Conveniunt tædis (& sine fraude) *novis*.
I *Decus I nostrum*; thalamis assuesce supernis,
Hunc tibi nec renuet *virgo* relicta *virum*;
Ite vel invitâ Sponsalia Cantica morte,
Ite beatifici conscia cœpta thori;

Plaudite fœlici *exitui*: præcordia *Livor*
Rodat edax, angues *Invidiæque* ſuas:
Ipſa tibi Virtus, placidique *per omnia* mores,
Suavis & incoctæ Relligionis *odor*,
Dant benè pollinctum *defuncto* & amabile Nomen;
Meta nec *emeriti* Tempus *honoris* erit;
Præſtabo *incolumem*; vetat *hunc* impunè ſecari
Et tua fama *inſons*, & meus *acer* amor.
Frendat atrox rabies, *Cuſtos* ſcrobi at accubat *albus*
Vel Stygium poterit qui pepulille *canem*.

EPITAPHIUM.

NEc tua quo *ſpiret* Species in Mnemate, confert
Æra Corinthus, *Ebur* Bactria, *Saxa* Paros:
Hæc Sors, Árſque *alus*, *tibi* ſed tulit (optime) cordis
Firma craſis, *niveus candor*, *ahena fides*;
PYRAMIS ergo *tibi* es; nec te *tua* laudis egentem
Viderat, aut *veniens* viderit ulla Dies;
Extera ne monumenta velis; *Natura peremptos*
Condit humo; haud pluris *vile* cadaver eget:
Creſce *Sacrum Semen*, te *Sol* fœcundat, & *imber*;
Proferet inſigni mox & *honore* Deus.

CANTICI CANTICORUM

LATINA PARAPHRASIS

Ad Lyram aptata.

Esai. 62. 5.

Ut cum ducit *Juvenis Virginem* — gaudio (inquam) Sponsi cum Sponsa gaudebit tecum Deus tuus.

Ephes. 5. 32.

Mysterium hoc magnum est, loquor autem de Christo & Ecclesia.

CANTICI

CANTICORUM

LATINA PARAPHRASIS

Ad Lyram apta.

CANTICORUM
Caput primum.

SPONSA.

IMpotens *Voti* pereo : Miſella
Quid rogem Nymphe ? O ſi AMOR ILLE (*vitæ*
Jam moris) Sancti premat Oris Ori
Suavia Sponſæ :
Præ cadis hauſti ſapit *Is* meraci,
Per tui venas Opo-Balſamique
Conſcium Unguento magè flat refuſo
Nomen amœnum.
Quâ calet, quâ Te Face virginalis
Deperit Cœtus ! trahe me efficaci
Vinculo, *nos* Te glomerata curſim
Turma ſequemur :
Regius me vir thalamis recepit
Exulem, en dicemus *ïö Triumphe*,
Iö ducemus choreas, jocosque A-
gemus ovantes

Sponſe, dum veſtros (hilares) Amores
Cántico ad ſacras celebremus Aras,
Præ Mero gratos tremulo, ô Cupido
Unica Caſtis!
Nigra *ſum* cultæ *Solymaides*, Orâ ut
Colligens Scenas *Vaga Gens* Sabeâ,
Pulchra at Aulæis velut *immoratrix*
Sub Solomonis.
Albicans ne me obtueare cætus
Subnigram viſu, mihi Sol malignus,
Torridâ incumbens face, Decolorem
(Sic) cutim inuſſit.
Quin & invectæ mala ſtirps *Novercæ*
Sæviens in me, dedit Alterarum
Vitiûm Curam mihi negligenti
Dum *mea* ſquallet.
Cordis ô ingens Amor & Cupido
Tu mei, Dic Quâ tibi grex in orâ
Paſcitur, qua ſub medios cubantem
Protegis æſtus?
Nam *Tui* cur jam (vagabunda) Ovile
(Unicum) averſo pede deſerens, Gregariis paſſim tibi Competentum
Aggreger Hircis?

SPONSUS.

Neſcis ô omnes ſuperans Venuſtas?
Per Gregis ſignatum agè perge tractum,
Septa Paſtorum ſuper exterorum
Paſce Capellas.

Roboris

Roboris cassam licet, & Decoris
Dixerint Gentes; mihi (Amica) polles
Par cataphractis *Pharaonis* omni in
Axe caballis:
Quam tuæ insignes (radiosa) malæ
Lucidis intermicuêre gemmis,
Quamque cælati tomices Obrizi
Colla venustant?
Jam tibi (ô magnam *mea* consecuta
Gratiam) duplum dabimus decorem, &
Aureis argentea puncta virgis
Incutiemus.

SPONSA.

Cælicus mensæ genialis Orbi
Assidet dum Rex, mihi ros caduci
Defluus Nardi (remeans) fragrantes
Sustulit auras.
Turgidis se dans medium mamillis
Termitis Myrrhæ est mihi *Sponsus* instar,
Noctis integræ horribilique mecum ad-
dormiet Umbrâ.
Lugubris *Cypri* soboli venustæ
(Fontis ad vineta rubentia Hædi)
Candidi compar rubicunda *Amici*
Certat Imago:

SPONSUS.

Quam mihi occurris speciosa visu
Aspici virgo? Speciosa Tota es,
Præ Columbinis oculi pudicè
Quàm tibi splendent!

SPONSA.

SPONSA

Quam mihi Formam (Decus) & Decore
Proprio elucens! Ego pulchra *veſtro*;
Veſtri Amoris vi viget, & vireſcit
Lectus utriſque:
Stat Cedri extructis redolens tigillis
Juge noſtrorum Larium Lacunar,
Crebra per longas Paradromis ædes
Brutea ſerpit.

Caput Secundum.

SPONSA.

APerto ut illa quæ Sharonis enitet,
Roſa *impetita* in æquore,
Subuvidâ *objacenſque* valle Lilium
(Soli inquilina) ſic ago:

SPONSUS.

Inhoſpitale Senticetum ut incolit
Tenella Lilij Venus,
Mea *indecente* Filiabus exteris
Amica ſic jugo coit:

SPONSA.

Viſu ut Decora, ſuave olente Frugeque
Odora malus exilit

Se

Se agrestium inter erigens Propagines
(Amæna Planta) Stirpium,
Ità Hujus antè Sæculique Filios
Amicus eminet meus:
Mihi unde Orexis arsit *Hæc*; sub algidi
Sedere tegminis Comâ,
Suo & Sapore delicatæ Amænitas
Palata Frugis imbuit:
In hospitale & advocans Triclinium,
In vina misit optima,
Super beatam & *emicantia* Hospitam
Amore signa sustulit:
At imminutum (Amicæ) at usque amystide
Novâ integrate Spiritum;
Mihi ægræ Amore sublevate & Inditis
Referta stata Citreis:
Io, revixi! Amicus ipse (sentio)
Adest, Caputque conscium
Mihi sinistrâ amænus ille surrigit,
Vietam obambit alterâ.
Per Hinnulosque, Capreasque amabiles,
Amabò (Ruris accolas)
Amorem, amica Turma, subveremini
Meum excitare dum volet.
An errat auris; Advenæve prævium
Susurrum Amici inaudio!
Is est, Is ipse: montium en Cacumina
Per alta (præpes) advolat,
Iuga & supina gestiens supersilit,
Nec emicante segnior
Caprâ appropinquat editisve Collibus
Oborto (anhelus) Hinnulo.

(Ferè

(*Fere assecutam & attigit*) mei obicis
Propè Exquilinum & aggerem
Stat almus ille, per Fenestræ & inspicit
Aperta Luminaria
(Fibrarum Epopta curiosus) è clathris
Et ut Smaragdus eviret,
Perefficaxque voce Rhetor aureâ
Potenter influit mihi;
Mea (inquiens) *Amata, Amara*, surrige
Te Amica abhinc & aufuge;
Tibi repentè solvitur rigens Hyems,
Aquosa vis & imbrium,
Migrans recessit, intepensque *Florida*
Solùm subindè parturit,
Sub hocq; Tempus Oscinum adstrepit Chorus,
Melos perenne quiritans,
Premitque nostro in orbe Turtur accola;
Feraxque ficuum Labor
Suum è tumente grossulum edidit sinu,
Odora *vis*que germina
Refudit ecce *partumeia* Vitiûm;
Amica surge, & aufuge!)
Mea ô Columba Petræ in angyportibus,
Gradus & inter hospitans
Agè, Os renuda, ut (obtuens) inhæream,
Levato Vocem, ut audiam,
Tua est (Columba) namque vox melodica,
Decora Frons & aspici:
At ô amatæ *amica Cura* vineæ,
Mihi omne vulpium genus
Senes prehende, & ange jam juvenculos
(Severa) *vitium Luem*.

Quiescis?

Quieſcis? apagè! Boutrilla noſtra nam
Novella, vitis edidit:
Ego ô Beata! Cura, Amorque Conjugis:
Mei eſt Amicus unicus,
Amici & Ipſa tota, *cui* placet ſuis
Gregem inmutrire Liliis.
Eous *ille* jugè dum refulſerit,
Et *iſta* Nox refugerit,
Memor *Relictæ* (Amice) jam ſuperveni,
Redi invocatus & Tuæ;
Par Hinnuloque, Fætuique præpetis
Capræ Bithronis in jugis.

Caput Tertium.

SPONSA.

NOctium ut Silentio
Thoro reclinis (pervigil) jacebam,
Cordis ambitu meum
Petivi Amicum, quæſiique votis,
Quæſii (impotens moræ)
Tepenti, at haud Fas invenire, ſpondâ:
Dixeram dein mihi;
At at Cubili (Delicata) ſurgam,
Circumire quoſlibet
Stat angyportus, Urbis & Plateas,
Spiritûs & unicum
Requirere Amorem, ſed labore caſſo

Quæſii

Quæsii modò (vaga)
Vaganti at haud Fas invenire Sponsæ

Cura commeans Polin,
Cyclis rotantem Me prehendit urbis
(Nesciam ut Scopi *plurimus*)
Cui ipsa ador'a voce sic prævivi:
Spiritûs mei unicum
Caterva vidisti excubans Amorem?
Contra at Hi mihi tacent:
Ut Hos parumpèr transiens reliqui,
Spiritûs mei *unus* est
Amor repertus: Hunc manu prehensum
Nolui remittere,
Parentis Illum dum verendæ in ædes
(Blandulùm-pudens Proca)
Penitiusque duxeram Cubile
(Illici piâ prece,)
Per Hinnulosque, Capreasque (amænos
Montium maniplos)
Ne amabò (Turma compar) Hunc Amorem
Dormientem in intimo
Sinu excitetis antequam Ipse mavult:

SOCIÆ SPONSÆ.

Quænam at Ista, Quæ suas
Perosa sedes, è solo maligno,
(Ut Columna tumea
Calore in altum sublevata) Summi
Advolaret Ætheris
Globum Empyræum (Conjugis Lacunar)
Myrrheisque, Thureis

Vapori-

Vaporibusque fumigata, & omni
Gummi Aromatarii?

SPONSA.

Thorum intuere perſpicax Caterva
Solomonis, *Hunc* Thoro
Superbiorem, Quamlibet Dynaſtæ
Sexaginta adexcubent
Triariorum ex Izrale, quanquam
Quisque ſtrenuus truci
Ferire Ferro, Conſciusque ritûs
Militaris Artifex
Habet machæram Baltheo applicatam
Promptus ad Femur vigil
Metus fugare Nocte quâque obortos:

Struxerat ſibi elegans
Opus Curule, Pacis Ille Princeps,
Struxit éque Libani
Suavè olenti perpetique Ligno, Argenteis Columnulis
Renixam, in Orbem, Machinamque ſepſit,
Ex inæſtimabili
Obryſo & almam eduxerat Cathedram:
Quin & ambientibus
Recinxit Ipſum Stragulis, modeſtâ
Splendidiſque Purpura
Obambulare ſusque deque juſſit:
Intùs at ſinu gerit
Quid Arca operto? Tota, tota ad imam
Uſque funditùs Baſim
Amore denſo, divitique ſtrata eſt

Soly-

Solymaidum Chori:
Iò exeatis, O Sione natæ,
Solomona Regium
(Suâ redonatum amodò Coronâ)
Fulgidum intuemini,
Coronâ in ipsis Nuptiis, Supremâ
Gaudii & Coronide
Sacro quam adaptat vertici Genêtrix.

Caput Quartum.

SPONSUS.

O Quàm Pulchra *meo, proprio* bis Pulchra Decore es
Nympha, Columbinus Lumine utroque nitor
Cui temerè offusos tralucet (Eburnea) *Crines*,
Quam tibi promissæ Syrmata spissa Comæ
Quæ sibi detondent Uber Gileadis opimi
Caprarum nitidis prænituere jubis?
Agmina comparibus tibi stant *Demulia* Turmis,
Puriùs & Duplex albet utrimque phalanx
Quàm (Nive candidior, vitreo & benè tonsa Lavacro)
Cum redit æquato vellere densa Pecus!
Una parit Quarum Geminos sibi quælibet agnos,
Nulla expersque *paris* Nulla agit orba sui!
Labra tibi dibaphum Ingenio referentia Filum,
Tenvia macrescunt & Cerasina rubent:
Halitus *Eloquii* Labiisque decentibus exit,
Suavis ut aurata Pixide spirat Odor

Punicei

Punicei *Albentes* quasi tinctæ uligine Pomi
Temporibus junctæ subrubuere *Genæ*:
Altè elata tibi & *Cervix* speciosa videri
Davidis velut Arx nobile fulget opus;
Vis quo Armorum inerat, præfixa Phalarica ferro
Plurima, & Heroum pendula scuta Ducum:
Æqua tument saturi ut caprearum è gente Gemelli
Vbera Quos inter Lilia mater alit.

Ille Dies dum spiret (acri properatus Olympo)
Umbrarum & vesper conscius iste migret,
Præpes *Aromatici* volitabo ad *montis* Amores,
Insidamque ubi me thureus ambit Apex.
Eugè (*mea*) integræ pulchra es compagine Formæ,
(*Hoc reor, hoc operor*) nec tibi Nævus inest.
Mecum indè à Libano, Libani de monte rapaci
Sponsa veni, (thalamos præcipe Corde meos
Ad tua suspirans spoliaria,) respice *Amani*,
Schenyris, è summis *Hermonis* atque jugis,
Eripe Te, nolisque inter Spælæa Leonum,
Pardorum ulterius crudaque Tesqua pati.
Flecte aliorsum oculos, nostræ ô soror unica stirpis,
Vultum averte mei conjuga sponsa Thori,
Raptat (iò Genium raptat mihi) Luminis unus
Unius intuitus, Torquis *odorque* tui:
Gratia quanta tuorum & inescans Gustus Amorum
Sponsa, soror, rubris anteferenda Meris,
Deteriusque tuo suffumigat æthera Nardo,
Quicquid Achæmeniâ merce vaporis abit.
Suaviter ebullit tibi Fons (mea sponsa) Loquelæ,
Stillat ut Hyblæo mellea vena Favo;

Mel adeò cum Lacte tuo insidere Palato,
Præ libanique Animis Vestis anhelat odor.
Hortus ut aggeribus peregrino ereptus ab usu,
Sola mihi soli sponsa sororque pates;
Et tantum propriam donas uligine gentem
Fons *Alienigenis* clause, recluse *Tuis*:
Indè tibi Pæni numerosa colonia mali
Crescit in ordinibus pulchra Propago statis,
Quin & densa Cypri, Nardi & Plantaria (Nardi
Optimi) anhelanti sunt benè jncta Croco;
Suavis odor Calami Cynamomi aspirat odori,
Thuricremæque omnes (scæna superba) trabes,
Myrrhina cum Lignis Aloes Panchaica surgit
Messis, odoriferæ & Frugis amænus Honos.

Sponsa.

Tu Fons Hortorum vivorum & Origo Fluentum
Quæ Libani gravido detumuere sinu:
Sude Aquilo, evigila, & madefactis Affrice pennis,
Ferte subalternas atque referte vices;
Aspirate meo Tempestis flatibus Horto,
Passim ut aromaticas fundat opimus opes:
Festiva introeat sua jam Pomaria Sponsus,
Delicias roseo mandat & Ore suas.

Sponsus.

En paradiso adsum (oratus) novus incola nostro
(Sponsa, soror) Myrrhæ jam *Foliata* meæ,
Munera Panchææ Scobis & contusa coegi,
Dura mihi *liquido* Mella comesa *Favo*,
Lac nostrum epotumque merum mihi; vescere (consors
Gens) bibe, mixturâ quin ebriare meâ.

Capus

Caput Quintum.

Sponsa.

Affuſum mihi Morphea
Inſtillat Caro, cor ſed vigil excubat:
Hem! pulſantis ad oſtium
Ictus ingeminant *Sponſi*, & (inaudio)
Hoc blandi Eloquii melos;
O Affinis, Amica, ô mihi Turtura
Par illabis & integra,
Nunc reclude, comas nunc mihi Roribus
Subdialibus hiſpido,
Et ſtillicidiis Nocte liquentibus:
[*Quid (Diſcincta) ſubingero?*]
Exutam tunicam quî ſubito exuam,
Ablutos maculem pedes?
Neglectus digitum impreſſit Amabilis
Unctæ Orificio ſeræ,
Quâ Deſiderio jam mihi pereito
Diſcedentis Imagine
Æſtu efferbuerant viſcera turbido;
Perrexi ſimul (impigra)
Dilecto ut Remoras excuterem, ſeræ
Tractatiſque Manubriis,
Manus cæliflui conſcia Pignoris,
(Crebris uvida tactibus)
Myrrhæ clathriolis munera defluæ

Myrrhæ λειρια ſtactæ
Stillato à digitis intulit Obici ;
Tandemque (impatiens moræ)
Præ-dilecto Animæ clauſtra recluſeram
Summoto cita peſſulo ;
At jam ſuppoſitis ille vehens Notis
Se ſubduxerat hinc (rapax)

Ipſa (ut caſſa ſilex) exanimis ſteti,
Jucundi alloquii memor ;
Sed me compoſitâ mente recolligens
Conquiro mihi Transfugam,
Quærenti at ſtudio ſepoſitum gravi, haud
Inveniſſe datum ; mero
Elata excipitur voxque Silentio :

Urbem circumiens cohors
Erranti dubiis paſſibus incidens
Incuſſit mihi verbera,
Ægræ quinetiam *vulnera* virgini ;
Et qui Mænibus excubant
Donatam ſpoliant *Mænibus* incolam,
Infamique adimunt probro
Velum fœmineæ inſigne modeſtiæ.
Vos nunc (Claſſis amicior)
Adjuro Solymæ progeniem ſacræ,
Charo plus Animâ meo
(Siquâ in thuricremis incideris jugis)
Dic, Quid Nuncia dixeris ?
Dic me ſydereis utier Ignibus,

SOCIÆ SPONSÆ.

Quidnam (ô cedò) venuſtiæ
Dilecto ante alios præminuit tuo,
Quî Sponſus Reliquos tuus
(Fulgens præ reliquis Sponſa) ſupernitet,
(Tam ſignanter amans) tuis
Hæc ut præcipias juſſa Pediſsequis ?

SPONSA.

Dithyrambi : Surge Lingua gloriatrix,
Artifexque Dextra ſurge,
Conjugale voce Carmen
Trade Barbito Lyræque ;
Ora ſolve, volve Plectra
Et decora pange membra, cum colore vivido.

En amabilis Caterva
Ambitum per oris omnem
Illecebra Amoris *Album*
Cum *Rubore* temperatum !
Elegans Craſisque Fortis
Quo Lepore, quo Vigore *ſignifer* ſtat omnium.

Quod caput verendum adumbret
Schema ? *Fulgurantis* Auri
Lux perennitaſque *Firmi* :
Tortiles *Comæque* plumis
Nyct-Coracis atriores
Noctis ex opacitate permicant ſereniùs :

Luminumque Par amœnum
(Par jugalibus Columbis

Stagna quæ per Alveoſque
Perluuntur ambo plenos
Rore Lacte puriore)
Congruentibus locantur inſitiva vaſculis.

Areas *Genæ* fragrantes
Flore conſitas odoro,
Labra Lilia æmulantur
Subrepanda, ritu amæno,
Stillulantibuſque guttis
Stacei liqueſcit indè Ros Caducus unguinis.

Aureis *Manus* decoræ
Orbibus micant Beryllo
Inſitis *Thalaſſiano* :
Ventris enitetque Candor
Plus Eburneâ Tabellâ
Cum Saphiriis ubique ſit reſperſa venulis.

Crura ſtant ut albicantis
Marmoris ſuis locatæ
In Chryſobatis Columnæ;
Et *Staturæ* Imago ut arbos
Celſa Libanitis exit,
Se ſuperbiuſque Scæna quam cedrina ſurrigit.

Os ſuäve ſuavitates,
Blandimenta vincit ipſa,
Totus ipſe Blandimenta ;
En amatus *Hic Amator!*
Ambiens & ambientem,
Uſque floret, uſque fulget, ô Sionis editæ :

SOCIÆ

SOCIÆ SPONSÆ.

Dic, ô dic agè Deviis
Quo ſe dius Amor proripuit, Tuus
Quo ſeceſſit Amabilis?
Dic quæ præ Reliquis Una ſupernites,
Nobis depereuntibus
Tecum unà liceat quærere ut Unicum.

SPONSA.

Neſcis ambigens *Choraga?*
Docta, dico; nunc in almum
Almus immigravit Hortum,
Et per ambulachra Fruges
Geſtiit comêſſe odoras,
Faſcibuſque delicata colligâſſe Lilia:

[*Fauſta ſponſa, ſponſa* FIDI
Nuper ægra, jam revixi,]
Sum mei prehenſa Sponſi,
Noſter apprehenſus Ille,
Excitatam ut augeatque
Ipſe in uvidis agitque Sponſam alitque Liliis.

Caput Sextum.

SPONSUS.

SPonſa mihi irradias ut amenæ Arx ſplendida Thirzæ
Decorque veſter eſt Sionis æmulus,

Explicitis velutique Acies ſtans horrida ſignis
Tuus (Virago) Terror inſtat Hoſtibus :
Flecte aliorſum Aciem ; injecit mihi vincla relucens,
Ab Hâc, Priore *fuſior* (jam) Amænitas :

Dives *Cæſaries* (Cerebri generoſa Propago)
Nitore pura, plurimâ & frequens Comâ
Caprarum exuperat Numeroque, & Luce micanti
Greges Gilhade ſplendidos nutritio :
Præ nivei Candore (Biclaſſis eburnea) *Dentes*
Siti æquitate ſymmetriæ amabili,
Par Ovium turmæ benè tonſa ut pellibus æquis,
Peralbicanſque Fonte limpido redit,
Una parit quarum Geminos ſibi quæque, nec ulli
Deeſtve Par, vel orbitate deficit :
Punicei peramæna imitantur Fragmina Pomi
Genæ rubore temperante, Candidæ :

En ſex-denæ aſtant auguſtâ in Cyclade Sponſæ,
Meri octoginta compotes modò *thori*,
Grexque Puellaris numero numeroſior omni
Micantibus refulgidæ Tricliniis :
Noſtra (columbinæ at Fidei, eximiique Decoris)
Stat *una*, Partus & Parentis unicus,
Inter agens *Formas* reliquis ſelectior omnes
Craſi uniformis integra Venuſtiæ,
Ergo palam *Cælebs* (viſæ) acclamaverat agmen,
Vagaque laude diſtulere *conjuges* :

Quænam Aurora vejut, deſpectat ab æthere, pergit
Noviſque Luna ut *Argyritis* arcubus,

Paulatim

Paulatim effulgens ſolisque coruſciùs auro,
Et ordinata quam Phalanx atrociùs ?
Ivi inodoriferis fætos plantaribus Hortos
Vt conſitas, ad *Irrigata* vallium,
Conſpiciam Frutices, prægnans an Vinea gemmet
Renideatque Flore bacca Punicæ:
Nondum hæc percipiente *anima* ſe inopina recepit,
Injecta Civium Eſſedis libentium;
Alma redi; redeas peregrinis Hoſpes ab oris,
Redi, redito Shulamitis exulans,
Jamque tuo propiùs Nymphe te confer Amico
Sine intueri & (Alma) nos Decus tuum:
Quid vobis viſum eſt visâ Shulamitide (Amici)
Quid ? Izraeli ad excubans duplex phalanx.

Gratia quanta *Pedum* generoſæ O Filia ſtirpis
Renidet *Hiſce* te admovente *Calceis* ?
Quin *Femoris* ſuffrago anceps tibi (pulchra) gemelli
Duplex revincit inſitum palis jubar;
Quæ pollens virtute Opifex fabricavit & Idem
Locavit aptè, & expolivit Artifex:
Spumantem Cyclicumque refert cratera rotundo
Tibi arcuatus *Umbilicus* ambitu,
Ah ne deficiant uliginis uber opimæ
Perutiliſque Fætibus remixtio,
Sic Granorum Orbem æquiparet tibi *venter*, & albis
Reſepiatur undiquâque Liliis:
Mammarum alludit binis teres ambitus Hædis,
Labore capra quos refudit unico:
Lubricior vitro, Nive purior ardua *Cervix*
It in *ſuperna*, eburnea ac Acropolis:

Vt

Vt piſcoſa liquent Oculi Vivaria *molles*,
Gregis quæ ad *Oſtium* Ars polivit affabris:
Naſus magnanimoque ſupinus in ore levatur
Arx ut Libanica quæ Damaſcum adinſpicit:
Ea tibi ſanguineo *caput* inſignitur ab Oſtro,
Coma invidetque *Rubra vitta* murici:
Rex premeret greſſum Formâ defixus in illâ,
Palatii ipſe Pergulas obambulans:
Sponſa decens! quàm Deliciis es Idonea, ab omni
Nitetque parte multiplex Amænitas?
Iſta *Statura Tui* palmæ certantque *Mamillæ*
Botris liquore muſteo affluentibus:
Decreto edixi ſtabili; ſtat ſcandere palmam,
Manubriiſque conſuêſſe termitum.
Ubera jam plenis tibi fiant æqua Racemis,
Quaſique odora Poma *Narium halitus*,
Saltantiſque meri ſucco potiore *Palati*
Fluit ſcatebra, ſeſe Amico & admovet,
Influxu attingens & Cœmitaria miro
Reſolvit ora ſurda *ſic* jacentium.

Sponsa.

Dilecto (& meritò) mea ſtat ſubjecta Voluntas,
Mihi ejus alta cum cupido ſe exerat:
Egredere ô! capteſque per Arva per Oppida mecum
Citò affuturi *Amica ſigna* Temporis;
Spectatum Vineta novo ſurgamus Eoo, ut
Sciamus anne Vitis alba floreat,
An Pœni exierint vernantia germina mali,
Tibi hic Amoris *expetita* conferam;
Mandragoræ foris halantes bene-olentia paſſim
Vagis ferenda Flabra dant Favoniis,

Vbertim

Ubertim ad noſtros penus exquiſita Penates
Vetus, recenſque (copioſa) ſuppetit;
Quam Tibi (propitio cape ſed munuſcula Vultu)
Meis reſervo (deperite) Cellulis.

Caput Octavum.

O Quis *Calicola* jam face languidæ
Humano (proprius) te mihi deferet
Junctum Sanguine *Fratrem*,
Matris lacte nutritio?
Inventum cuneis in Popularibus
Tunc *Auguſtum* adiens oſculer *Advenam*,
Vltrà nec mihi fannis
Fax illuderet improbis;
Deductum (celebri non ſine Gloriâ)
Materni veherem ſub Laris ambitum;
Hic ſermonibus (auctam
Doctrinâ) imbueres ſacris,
Quorum cælifluis hauſtibus *Vvida*
Conditis Arabum Pulvere te cadis
Potarem, & tibi preſſi
Mali uligine Punici,
Tu certum intereà ſis Columen mihi,
Lævæ *ſucciduam* munere *ſuccuba*
Præſens erige ſponſam,
Et Dextra Fragilem ambiat.
Adjuro Socias (vos) *Solymaidas*,
Limphatis pia Gens parce furoribus,

Cur

Cur ſponſum excuteres dum
Se ſomno excutere occupet.

SPONSUS.

Quænam Hæc (Noctivagâ clarior Heſperâ)
Deſerti horribilis nititur Chao
Promptum attollere greſſum,
Dilecti (heu fragilis) ſui
Innitens humeris? Ipſe ſub Arbor
Lapſam *Malifera* te citò ſuſtuli,
Infandis (peritura)
Hic compreſſa Doloribus
Noſtrati Auxilio te peperit Parens:

SPONSA.

Signatam *aſtrigero* perprime Pectori,
Armis me quoque ſignans
Coram afferto *ſequeſtribus*:
Vt Mors indomitus, ſcrobs ut atrox, *Amor*
Comburit validis non minus ignibus,
Prunæ ejusque *Jehovæ*
Sævi inſtar *cremii* furit:
Non ſi continuus Flumine perluat
Ardorem ingenuum extinxerit Alueus,
Non quanquàm omne refuſis
Irrumpat Pelagus vadis;
Nec ſi muneribus ſollicitet Procus
Trux Deſiderium flexerit *omnibus*,
Sed (contemptus) avaræ
Ferret Dona Libidini:
Eſt nobis tenerâ Ætate Juvencula,
Formatis nec adhuc uberibus ſoror,

Pro

Pro *Noſtrâ* quid agemus.
Quando increbuerit palàm?

SPONSUS.

Si in celſa exierit *Mœnia*, nos ſuper
Argenti Acropolin ædificabimus,
Fungentem vice *Portæ*
Cedri obſepiet ambitus:

SPONSA.

En ipſa emineo ut *Murus* & ubera
Turres æquiparant mole ſuperfitas
Tunc (ſublimis) Amico
Vt quæ grata aderat fui.

SPONSUS.

Vinetum Solomoni eviguit ferax
Clivo multiplicis divite Vineæ,
Quod mercede locavit
Crebris is redimentibus,
Quorum quiſque recepti in precium ſati,
Argenti *Domino* mille ſyclos tulit
Vectigalia, *Regi*,
Conductor Reditu ſtato:
Vinetum ipſe meum (cultor at unicus)
Accurans, mihimet percipio *integrum*
Diviſo haud *Alienis*
Sudore, aut reditu meo:
Millenos (Solomon) en tibi Nummulos!
Bis Centum (emeritopræmia cultui)
Acciſos Domino, rei
Prvæ accenſet Agricola:

SPONSUS,

SPONSUS.

O ſeptis habitas Quæ *Paradiſiis* !
Gratum vociferans, Fac rapientibus
Veſtros aure Lepores
Me clarare ſodalibus :

SPONSA

Quin Tu (lente) Tuæ jam citus advola,
Par ſis Hinnuleo, ſemini & alitis
Cervæ tranſilienti
Teſqua acclivia Aromatum.

FINIS.

JOBI
PERORATIO;

Pro triplici Statûs sui Colore, Tribus Capitulis Distincta.

Maxima Virtutum patientia pugnat inermis.

Viro verè Nobili *JACOBO HARINGTONO* Equiti aurato, Virtutis ergò mihi plurimùm obser-vando S. P. D.

*RE*colenti mihi *sæpenumerò* (*Vir Præstantissime*) *genuinam tuam Bonitatem, indolemque generosissimam, & ex his fontibus uberrimam beneficentiæ vim in* tuos, *in* alienos, *in* privatis, *in* publicis *negotiis promovendis quotidiè prorumpentem, delectabat me certè* (*uti par erat*) *hæc virtutis tuæ* insignia *penitiùs agnoscere; nec non* (*haud ex meo tantum, sed ex optimorum & sagacissimorum omnium sensu*) palam *profiteri quantùm his tuis officiis ab amicis, a Patriâ, a Republicâ laudum, & encomiorum promeruerîs, & quàm debita gratitudine in te recumbere oporteant* Tui Tribules, *tibi fidant, tuæ administrationi res suas, Vitas, fortunas committant, seque sub* Tui *umbram colligent,* (*Surculi scilicet* indigenæ, *& perquàm* proceri) *nec potiùs perverso studio* — Arbusta *optent, humilesque mericas* -- Fortes creantur fortibus & bonis, *&c. Quæ sententia apud Ethnicos* (*usque ad proverbium*) *rata ut sit lubricam aliquatenùs fidem apud Christianos inve-*

nit ; at enimverò ſicubi innatis Ingenuitatis ſeminibus acquiſiti mores , cælitusque infuſæ Gratiæ coaluerint, tum demùm veritatem obtinet hoc ῥῆμα *infallibilem, &* præclarum *aliquid, & amore ac Reverentiâ dignum ex hoc tam fœlici conſortio ſolet adeo provenire atque emergere : Sed quid ſi hi artifices nihilominus ſcopum ſuum aſſequantur, & victores evadant? Quid? eant ſcilicet res quo ducunt Fata ſua, & potentiorum miniſteria : Tu intereà gratulare tibi (ſublimis anima, & contemplativa) quod è turbarum & negotiorum caveâ in propriam libertatem vel* invidorum ſatellitio *evaſeris :* —Lis eſt de paupere glebâ. *Cui non immerito certè* Carduus,& lolium, & ſteriles dominentur avenæ—*niſi Patriæ-patrum cura, & fidelitas miſerrimæ hujus regiunculæ commiſerans, hanc farraginem extirpet, & conjurationem adverſæ & malevolæ partis fruſtrantes opprobrium* innocentibus *amoliantur, qui fracti animis tantum non exclamant* Agimus——Ante Patres cauſam,& nobis præfertur Ulyſſes *! O ſpes fallaces ! O Cogitationes inanes noſtras! & exinde mœrore ſquallentes repentinum effugium adornent in* Linternas, Tuſculanos, Sabinos *ſuos, ubi (quanquam in re tenui) nihilominus exultantes ingemiscent——Eſt aliquid quocunque receſſu, Solius ſeſe Dominos feciſſe quietis : Valete Spes, & fortuna, portum invenimus, veſtraſque* infidas ſtationes *libenter reliquimus : Conſcientia noſtra nobis in* reditus, lætitiam, occupationem ſufficiet; *capeſſant Adminiſtrationes publicas (ſiquidem ità ſtatutum fuerit) Terræ filii, bubulci, pragmatici, dummodò nos non* ignobili otio *fungamur; & ſi præſenti ſæculo prodeſſe non liceat, Poſteritatis utilitati inſudemus ; apud quam fortaſſis gra-*

tiam

tiam, & dignationem promerebimur; sin & hoc etiam præmio distituemur (accidit enim aliquandò bene meritos oblivioni tradi in ea Civitate in qua sic fecerunt, Eccles. 8.) *at non profectò magnoperè de fama laborandum est, re levi, extraneâ, nec* ad mortuos *pertingente, nec adeò ipsos laudatoribus suis repræsentante. Nam quòd* decora *noverint vocabula*

An scire consumptos datur? &c.

At at certe quidem solidâ, & (è corpore egressis) *commeante, & adhærente ipsis penitus mercede non destituemur; siquidem in patienti Fidei & virtutis exercitio illam quæramus: Quocirca altius accinge te (egregie) nec ullatenus officio tuo desis quò Virtutis & bonæ famæ stadium usque ad metas expeditè conficias; Quamque in hoc decursu* Lampada *à majoribus tuis (Illustri Gente) extulisti, clariorem successoribus trade quàm acceperis; sic tibi in gloriam propria præibunt Facinora, & vel* superstes *in deliciis eris Patriæ, aut* Memoriæ *tuæ (forsan ad Finem sæculi) assurget* Posteritas, *audiesque, quod olim Cyrus ille major apud* Xenophontem, ὁ ἄνηρ ὁ ἀγαθὸς, ὁ εὐεργέτης, *vel potiùs ut viro Christiano sacrum elogium applicem post obitum vocaberis* instaurator ruinæ, restitutor semitarum ad habitationem.

—— *Quatenus* heu nefas!
Virtutem incolumem *odimus*;
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Hæc (nec vano impetu) de te *auguror; sed quid demum moliar* pro te? *Montem scilcet conscendã* Orator, Exod. 17. 9. *nec precibus solum contendam, sed (quiù nunquam melius agit magnus animus quàm ex vi alicujus insignis Archetypi) Vexillum etiam Dei ex-*

 tollam

tollam præstantissimi utique Iobi *exemplar, viri ad stuporem perfecti, in quo uno Trinitas illa Bonorum optabilium,* fortunæ, virtutis, & gratiæ *conspiravit. Hunc ego tibi præfero* (genuinis *certè lineamentis, & sui ipsius graphio depictis, sed in* alienâ luce *hoc est Latina versione,*) *serio contemplandum, quo te fideliter magis, ad hujus effigiem quasi ad speculum* (*Dedicationis jure*) tui proprium *componas, & reflexo in Imaginem animæ tuæ obtutu, veraciter & ex Re ipsa pronuncies,* —Sic oculos, sic ille manus, *&c.*—Hæc fecitque, tulitque (*pius*) sudavit & alsit: *En certamen Deo dignum imò ab ipso Deo* (*in* suorum *documentum*) *commissum; Virum opibus authoritate & existimatione apud populum suum merito florentem, in summam penuriam, & abjectissimam vilitatem* (*quasi verso Dei pollice*) *redactum!* Animam *sibi benè conscium, & insigni numinis reverentiâ imbutã terroribus nihilominùs Divinis & Spiritûs angustiis conflictantem!* Judicem, amicum, maritum! *Deus bone! quàm integrũ fidelẽ amabilẽ!* Turbæ (*versipellis & infidæ meretriculæ*) *calumniis sugillatum. Amicorum iniquis suspicionibus gravatum, imò convitiis &* dicis *atrocibus* (*quasi in libellum conjectis*) *impetitum, quinetiam conjugis suæ perfidæ an fatuæ magis mulieris nequeo pro certo statuere*) *impiis & importunis sollicitationibus in perniciem non tam corporis quàm animæ,* (*in ipso utriusque* agone, *& panè divortio*) *tantum non præcipitatum. Hominem undiquaque* ad ostentum *miserrimum. Prophanis in execrationem, hypocritis in ludibrium, propinquis in gravamen, sibi denique in tædium, & terrorem tantum* (*ut videri potuit*) *in vivis relictum, & veluti*—*Funestum & triste bidental*—*ab omnibus evitatum ità dispensante*

te liberrimâ & impervestigabili Providentiâ, cujus altitudinem infinitam in ipso vestibulo querulæ hujus orationis (ad amicorum, & cum ipsis consentientium hebetudinē & in Divinâ administratione inscititam coarguendam) ex ipsius experientia authenticus mystes *in medium protulit, & generationibus ad finem sæculi successuris in disciplinam & usum suggessit, quò evidentiùs (in ipsius specimine) animadverterent, quid accidere poterit vel integerrimis; nempè idem quod nequissimis; Cui etiam sacra pagina attestatur,* eundem eventum esse justo & improbo, nec dignosci posse odium vel amorem Dei per fortuitas has περιστάσεις: *Quid? an nihil ad nos* viatores *hæ Iobi angustiæ, & certamina? At enimvero cum quo sponsore fœdus pepigimus* Ne *extranei grassatores, & homicidæ in Regiones, fortunas, vitas nostras involent, ut Chaldæi, & Sabæi olim in Ditionem & familiam* Iobi. Ne, *quos amore fide & observantiâ* sine fuco *coluimus, officia nostra* ἐπριδόντες, *violatas amicitias redintegrent, & novos clientes circumspiciant, quos sublevent, quibus indulgeant, & propensiori animo fruantur!* Ne, *ex nobis ipsis exurgant indigenæ* (Amici Fratres *audientes*) *qui sub curatorum & consolatorum prætextu vulnera nostra dilatent, ægritudines augeant, innocentes opprimant invidia confictorum criminum, & dum ipsi Dei causam agere videri volunt, reverâ pervertant, & propriam astruant: Ne denique Satanæ ille Peripateticus, & Totius Terræ pervagator spiritus juventutem* novam audacem, *(tanquam Cadmæos illos fratres, & Terræ filios) excitet, qui* cuncta *dissidiis distrahant, jurgiis incendant, inquinamentis polluant, sacra prophanis misceant, dogmatumque suorum* monstris & molibus *in*

 altum

altum congestis cœlum ipsum violent, & Fundamenta concutiant Ecclesiæ labefactatores: Hæ *quibusvis cũ obvenire* vicissitudines *& possint, & soleant, non nimis certè aut Hominibus aut conditionibus fidendum est; quandoquidem omnia sub sole irrequieta sunt, ut retulit è Sacrario sanctus ille Vates, nec dissimiliter alter* Ethnicus *è tripode*

——Hic apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

Quibus pro gravitate expensis, ultima *certè* discrimina *præcipienda sunt animis, & Deo qui vices & eventus omnes moderatur unicè adhærendum*; Cujus *sub imperio (ut cecinit Vates philosophicus, & Christianus)* Sors patitur frænos, nec sine lege meat; Ipsaque rigida Necessitas miteſcit & fœlicitati populi ipsius inservit, & per omnia obsecundat.

PRIMUS COLOR:

Jobi Dignitas.

CAP. 29.

O Si præteritos rapidi mihi Floris honores
Reſtituant, ſolitâque iterum me Pace locarent
In ſe retrogradis redeuntes menſibus Anni,
Qualis eram propriùs cum me cœleſtis Alumnum
Cura recognovit per cuncta pericula præſtans
Incolumem, atque Dei mihi *Lampade* deſuper aureâ
Irradiante caput, nigram inclareſcere Noctem
Contigit, & certo per opaca incedere greſſu,
Cum velut Hybernis poſitus, formidine nullâ
Anxius expavi, *arcano* tutante Penates
Numinis hoſpitio; noſtris cum ſe undique rebus
Miſcuit *Omnipotens*, numeroſa & prole *beato*
Cingier indulgens veſtigia lævia lactis

Tensati illevi pinguedine, & aspera duris
Telqua jugis pressæ steterant largo ubere olivæ.

Ac ne Fortunæ Mentis mihi Gloria cedat
Contiguæ admotum libuit cum accedere portæ
Judiciale Forum, gradientem incondita pubes
Vidit & erubuit latebrisque irrepsit opacis:
Quin & Canitie atque Usu venerabilis ætas
Progresso ad Puteal *Iuveni* assurrexerat ultro,
Principibusque viris frænatis parcere linguis
Me coràm solenne fuit, vocisque meatus
Obice præclusisse manûs; etiam Arte loquendi
Qui dominari aliis suadâ didicere magistrâ,
Se tamen abdiderant, reverentes prodere pinguem
Et mihi barbariem, trepidis Vox faucibus hæsit.
Namque exorantem quæ me perceperat auris
(Suaviloquo persusa stylo) fœlicia linguæ
Munera, fœlicem tantæ Dotisque potentem
Asseruit; nostrisque inhians impensiùs actis
Inspector criticus rigidi mihi testis *Honesti*
Sponte aderat; me gentem inopem, oppressamq; Tyrannis,
Tollentemque altos ad Conscia sydera questus
Sævitia eripuisse truci, servâsse puellum
Squallentem, fidoque orbum Patre vindice & omni,
Sic *perituri* in me benedictio decidit ore
Cœlitùs exorata pio, cordique *Relictæ*
Jubila suffeci, linguamque in Cantica solvi:

Justitiam astrinxi mihi mordicùs, Illa vicissim
Ornatum eximio circumvestivit Honore,
Quæque mihi aptari (voto super omnia primo)
Compositi Jus Fasque animi sine Fine petivi,

In

In chlamydem *illa* mihi insignem & cessere tyaram:
Ille ego nempè sui, multas quem Fama per oras
Comem, munificum laudavit, Lumina cæco,
Decrepitoque pedes præstantem. inopique parentem,
Patronum protrito & iniquis litibus æquum,
Quique Peregrini, nullo mihi Fædere juncti,
Jus exquisierim obnixè, & conficta resellens
Crimina, in insontem haud actos impunè molares
Contuderim scelerati Hominis, prædamque prehensam
Faucibus eripiens, animam tutabar egenam:

Tunc mihi *sic* alacer! (*Sancti servator & aqui*)
Curricula integræ cum multiplicavero pacis
Æmula stellarum numeri, numeroque carentis
Pulveris æquorei, dabitur mihi denique leni
Oppetere occubitu, nido ut tener ales & ipso
Immoriar, sponte in meliorem transfuga vitam.

Sensi etenim irrigua radicem uligine lætam
Ad vegetantis aquæ scatebras se expandere, summis
Rorem & cælifluum mihi pernoctare flagellis:
Quinetiam usque novo mea Gloria prodiit auctu,
Viribus atque recens mihi vis superaddita primis
Incrementa, & opes *raptoribus* abstulit annis.

Cuncti (*auditores* tantùm) auscultare loquenti
Maluerant vigili præstolabantur & aure,
Et pressis siluere labris, dum sponte perorans
Finieram eloquium, dicendi nemo *secundus*
Sustinuitque iterare, ità noster amæniter ipsis
Sermo superfusus sensus pervasit ad imos,
Et vocem usque meam, irrorantes usque loquelas

(Qualè

(Qualè operitur agris pluvia, & ſerotinus imber)
Cordi erat expectare, & hiatu ambire petaci,
Stillantemve ſtylum, aut torrentis Flumina venæ.

Sin fors ingenuo interſpergere ſeria ludo
Mens erat, inflexum vix perſensêre tenorem
Credere nec potuere levem; reverenter at ipſos
Excepêre jocos; hilaris neque Lumina vultus
Dejecere rudes; Utcunque hæſere ſtupentes,
Suſpenſove gradu trepidarunt; Ipſe labantes
Firmavi, Triviaſque inter procedere *certâ*
Delectu voluere meo, denſique Senatus
Concilio in magno aſſedi Primarius, & cum
Clade laborabat, trepido concuſſave motu
Publica, tunc caſtris velut Induperator in ipſis
Intereram aſſiduus, triſti & ſquallore jacentes
Erexi, crudum demulcens voce Dolorem.

SECUNDUS COLOR:

Iobi Vilitas.

CAP. 30.

SEd nunc (heu nunquam conſtans ſibi ſortis Imago)
Nunc converſus *apex*, fueram qui inſignis Jobus
Charus, honoratus populique idemque Senatus
Delicium atque Decus, patulo nunc undique riſu
Excipior, grandemque (nefas) impune cachinnis
Impetit inſipiens rudis atque abjecta inventus

Patres

Patres quorum humili balantum apponere Curæ
Abnueram, & canibus *prædones* jungere fidis:
Ipſorum manuum nam in quos mihi cederet uſus
Vile miniſterium, quibus olim, deſide floris
Effluxu, caſſæ utilitas exhauſta Senectæ
Funditus interiit? Gens paſſim exoſa vel ipsâ
Eſurieque, ſitique humanis cætibus (exul)
Depulſa, in vacuis (nullo curante) cavernis
Deſerta incoluit, loca deſolataque vaſto
Excidio, quibus & vitam tolerare malignam
Certatim malvis ſatagunt cum ſtirpe revulſis,
Nec non juniperi in vilem radicibus eſcam:
Tabificæ velut abſciſſæ de corpore partes
Abjectæque abeunt, clangens quos ponè Celeuſma
Territat, ut fures, & in avia conjicit udis
Torrentum ut Cameris habitent antriſque pereſis,
Sive foraminibus petrarum: Spinea (læſi)
Rudebant Dumeta inter, captare latebras
Ipsâ urticarum quin ſuſtinuere ſub umbrâ:
Stirps Generis nequàm incerti, ſine Nomine nati,
Progenies Terræ, Terrâ quoque vilior ipsâ:
His ego materies nunc totâ *inſignis* in urbe
Decantata per ora feror, rabuliſque diſertis
Linguæ exercitium, & mera *Declamatio* fio:

Me inviſum dirè caput execrantur, euntes
Retrogradoque pede, ut funeſtum & triſte Bidental
Evitant, nec ſi me ſuſtinet improba adire
Colluvies, noſtro cohibet ſputamen ab ore:

Nempè *Hæc* hora probri eſt; Deus & mihi ſolvit habenam
Quâ compeſcebam effrænos (Deus ipſe potenti

Me

Me Dextrâ affligens) simul hi sensere remissum
Imperium, arripiunt fluitantia lora protervi,
Me facilè excusso coram in furiosa ruentes
Curricula effusis studiis, effronsque juventus
In dextrum insurgit latus, impellensque levatos
E statione pedes jacit eminus : Incipit in me
Stratoque (in specimen cursûs insigne futuri)
Funestas calcare vias : Hâc impete quassus,
Totus dissilui, meæ & omnis *semina* vitæ,
Et *Ratio* interiit : Quâ nec contenta ruinâ
Insuper extendit cladem implacabilis ; Hoc nec
Magnæ molis opus, cum nunc ope prorsus amicâ
Destituar, nullusque obstet grassantibus obex :
Ergò qua data porta, aditum patefecit, aquarum
Agmen ut exitiale ruunt, vastoque Fragore
Se volvunt sublabe putri ; quin quicquid ubivis
Est Lemurum in nostras se vertit Erinnyas ; omnis
Hinc Animæ diffluxit Honos, spes vivida cessit
Indolis ingenuæ, & modò quem mihi depluit altè
Spiritus influxum, à sicca nunc *Prester* Eremo
Turbine persequitur, quo (ceu nubecula) pulsu
Pax, & abacta salus disparuit, atque Ego *totus*,
In se distillante animâ, sensim eliquor, ex quo
Tempora me occursu mala corripuêre rapaci :

Attamen est aliis sua Nox gratissima ; dulci
Nec mihi nocte quies, noctu vigil excubat angor,
Ossibus inclusas punctim ferit ipse medullas
Dum cæco mucrone Deus, nervisque retortis
Dulce refrigerium & nimis actis pulsibus arcet.

Heu vis dira *mali* ! Cui cessit (candidus olim)

Sup-

Supparus, & fœdo nunc tingitur undique tabo
(Decolor, & ſquallens) & qui circumfluus imo
Circuitu patuit, nunc ſummi ut marginis ora
(Quæ collum exertum præcingit) mordicus ipſos
Ad talos pulpam circumligat arctior omnem,
Conſtringens cinctu anguſto. Deus (hei mihi) merſum
Me lutea obtexit putredine, tergore ſquammeô,
Lepræ & ramentis coöperto evanuit omnis
Jam propè forma viri: Cinerum aſſimilatus acervo
Pulvereo in vivis portentum immane ſuperſum:

At non (aſſiduus) votis precibuſque peperci
(*Orator*) ſed voce piâ vehementius ad *te*
Clamavi, ſolituſque tibi me ſiſtere coram
Suppliciter veneratus eram; ſed nec tamen æquum
Advertiſti animum (ô Hominum miſerator egentûm)
Sed *mihi* mutatus (tantum) ſine more ferocem
Te præbes, Dextræque gravis pro mole miſello
Infenſum oſtendis, violenti turbinis alis
Concutiendum effers, pluvioſi imponis & Auſtri
Me dorſo, labefactatâ compage reſolvens:
Atque adeò experior quid jam velis, (*undique teſtes*
Me cinxêre tui) ſubito me funere mergis,
Inque *ſtatam* ſedem decretam cælitus omni
Viventi revocas: Quid enim ſperare liceret?
Haud equidem extensâ ſataget ſuprema Poteſtas
Sarcophago vim inferre manu, atque arceſſere manes
Fine ſuâ, quamvis horum unuſquiſque *ſuperſtes*
Heu miſeris paritèr lugentûm in caſibus alto
Compatiens ſenſu doluiſſet; ſed ſcio de me
Quid jam animis agitatis; At hoc ô vindicet ultor
Conſcius ipſe Deus, rebus niſi triſtibus ictus

Illa-

Illachrymavi Inopi afflicto, nisi tristis Egeni
Dura mihi teneras tetigere incommoda fibras:
Attamen (ô rigidi) quæ vos Dementia cepit?
Cum Bona speravit mens hæc (sibi conscia Recti)
Me mala prævenêre, *silens* dum mane rediret
Perstiti in excubiis, Tenebræ at mansêre Tenore
Perpetuo, quâ spe elusus, dum flammiger æstûs
Spiritus agglomerat, traxêre incendia sacro
Viscera tosta igni, & crepitantia murmura produnt
Quod me prævenîens raptim illætabilis Hora
Cladibus afflixit subitis: niger ambulo *Curis*
Exustus, non sole; cutim, mediisque Catervis
(Ostentum fatale) sonis immanibus (ingens)
Barrio, & incipio Fraterculus esse Draconum,
Alitis & stygiæ à diris ululatibus olim
Quæ traxit funesti opprobria Nominis: ater
Pelliculam opperiit Color; exiccataque marcent
Ossa attacta igni tacito, & Quæ grata stupenti
Nuper erat sambuca choro, nunc exit inertem
Turpitèr in Luctum, liquidi & Testudo sonoris
Cogitur in longas Flentûm rauceseere voces.

TERTIUS COLOR:

Iobi Integritas.

CAP. 31.

SEd non Impietas tanti mihi Causa Doloris,
Flagitiumve enorme fuit, neque fœda Libido

Vertit

Vertit in innuptas intactave Corpora mentem;
Hoc nec vobiſcum pepegi, mea lumina, fœdus:
Haud equidem ignarus qualem Deus ipſe protervis
Perſolvat Dotem, quæ verbera digna rependens
Cælitùs impingat, *ſolio Retributor ab æquo*
(Non crudo Imperio) Omnipotens: Nonne ille, ſerenam
Curriculis adhibens aciem, & veſtigia Judex
In numerato exactus habens, diſpenſat iniquis
Æquatam Nemeſin præter ſolitumque ſceleſtis
Inſolitas pœnas ultrice retaliat Author
Juſtitiâ? At (mundo fors corpore) turpis inuſſit
Fraus animo maculam; ſed quid voveam? hoc mihi crimen
Si verè inſideat, ſi vanam (futilis) umbram
Sectatus properante levem pede fervidus æſtum
Ambivi, appenſum Deus (oro) examine juſto
Exploret, pœnis ſontem addicturus acerbis;
Sin *ſecus*, integri ut niſûs momentaque Cordis
Ipſe recognoſcat. Si à Rectâ erratica varo
Deflexit mihi planta gradu, Cordive Cupido
(Per faciles oculos immiſſa) illuſit, & ambas
Importuna manus noxæ in Commercia ſecum
Traxit, & hærentem impreſſit maculoſa lituram;
Orator dirus mihi tunc Hæc imprecor, agros
Ipſe ſeram, at comedat meſſas alienus ariſtas,
Proventuſque imis pereant radicibus acti.
Si thalamos matronæ oculis pellectus Adulter
Deperii, infidas vel amici ad limina ſtruxi
Turpiter inſidias; Nemeſi tunc vindice mæcho
Se mea proſtituat Conjux, preſſoque Cubili
Acclinent noſtro denſi ſine more Cinædi.
Scilicet expectem melius? quando Ipſe nefandum
Patrârim facinus, dignum quod triſte tribunal

Supplicio

Supplicio insigni lustraverit, intùs in ipsis
Necuitia aut (sibi pœna) incendia sacra medullis
Accendat, cremio me depastura probroso,
Incrementi omnes extirpaturaque fœtus?

Cum de jure tremens Famulusve, ancillave mecum
Disceptaret, acerba adeò atque indigna querentes
Perpessos, vilis si sprevi jurgia litis,
Quin animadvertat (quonam & discrimine haberet
Nos?) Deus, ac supremum ipso ascendente Tribunal
Quid facerem miser, aut quænam retulisse juvaret
Responsa, eliceret rigido cum examine Verum
Quæstio? an acciperet Personam acclivis? at idem
Ipse opifex ambos simili matricis in alvo
Conflavit, speciem & Naturæ contulit unam.

Si protensa (manum cohibens) frustratus egentum
Sim Desideria, & viduæ (crudelis) ocellos
Spectantes alacri me spe languore fatigans
Defecisse ægro cogi, si fercula soli
Duntaxat mihi parta Ferarum more sub antris,
Convivâ nullo ablumpti, victumque relicto
Non impertivi communi sorte puello,
Immò à primævis mecum unà accreverat annis
Hic Lare sub patrio, sed & *illam* reptilis inians
Comprensam altrices ductavi blandus ad ædes.

Corpora sub Brumam nullis vestita lacernis
Frigore si transfixa mero pereuntia vidi,
Exutumque suis inopem concrescere pannis;
Ni *benedixerunt* benefactaque nostra loquuti
Sunt (ipso reticente) mearum vellere lumbi

Ipsius

Ipſius redimiti ovium, ſenſiteque benignum
Me calefacta cutis; Proprio ſi robore fretus,
Aut in procinctu ſtantûm virtute Clientûm
Suſtulerim in ſublime manum, imbellemque potenter
Pupillum obruerim tenui tibicine fultum;
Tum *Violenti* humerus ſcapulâ decuſſus ab ipsâ
Decidat, effracto ſuccumbat & oſſe lacertus:
Sed non Hæc mihi mens; rabiemque coercuit iſtam
Qui mihi perniciem facienti talia vindex
Dixerat Omnipotens, cujus me perculit ingens
Majeſtas pavidum haud niti contraque volentem.

Si cum ſtercoreo conſueſcens mens mea lucro
(Secreto venerata ſinu) tacitosque ſuſurrans
Huic titulos, Argento, *O ſpes mea* dixit, & Auro
Tu mihi Pacis apex, Genii & ſolatia noſtri;
Si cum Res ingens excreverat, inde ſequaci
Perfuſa ingenti eſt dulcedine, ſola ſuæque
Incumbens Dextræ, partorum huic detulit auctus;
Sicubi vitales ſolem mortalibus ignes
Dividere, & tremulo criſpatos lumine crines
Conſpiciens, *purum* ſpecioſam aut *æthera* Lunam
Circuitu peragrare vago, tunc ceſſit amænis
Mens tacitè pellecta Dolis, rituque prophano
Os venerabundæ libavit baſia Dextræ;
Quid deinde orarem execrabilis? Hæc capitali
Judicio cum ſint ſcelera ulciſcenda, Supremum
Quando ego Factorem (veneratus Facta) negârim?

Si quandò infeſto caſus funeſtior hoſti
Acciderat, valdè mœrore fruebar acerbo
(Lividus) exultans animis immaniter ipſum

Improviſum atrox quod pœna offenderit; intùs
Ni mens æquaminis cohibebat ab ore Reatum,
O ori ne quidquam orarem dirius; à me
Nam procul hæc Feritas qui alienis Largus & altor
Audieram uſque adeò, dum turba domeſtica vernæ
Invida conceſſus peregrini dixerat ehò!
Quis tandem de eſcis donabit herilibus eſum?
Hoſpitibus pleno Paraſitis copia cornu
Suffcitur, nobis ſed inhoſpita menſa miniſtris,
Nec dapis implemur ſolitæ: Sanè! advena nunquam
Sub gelido ejectus toleravit ſydere noctem,
Aſſiduò at noſtræ patuere ad compita portæ.

Diſpeream, oppoſito commiſſa nefaria velo
Si triviali uſu celarim, hâc arte reducto
Deliteant ut preſſa ſinu, ne Dedecus ingens
In populum emanet ferveſcere motibus aprum;
Sed quo Terrorem populi? Si robore crudo
Certaſſem, *innumeras* valuiſſem frangere turmas;
Verùm adeo manſuevi ut deſpectiſſimus horum
Debilium terrore pio compeſceret ictum
Relligione animum, præ quâ pugnare recuſans
Conticui portiſque haud egrediebar apertis.

O Quis ſermones animo qui exaudiat æquo
Dilapſum dabit è Cœlis! En iſte mihi omnis
Eloquii ſcopus eſt (quandò præſentio pro me
Facturum reſponſa Deum) ut velit ille moleſtus
(Intentat mihi qui Litem delator acerbam)
Crimina deſcripto in Patulum proferre libello,
Quin peragar reus ipſe omni ni exponere mundo
Diſcuperem geſtatum humeris, capitique decoro

Vincirem

Vincirem insigni mihi pro Diademate, coram
Omnem curriculi tractum profiterer, & ultrò
(Ingenuus) solium ambirem Anteceſſor amicum.

Denique me fœdæ exuviis fulgente rapinæ,
Si contra (ut ſileant inopes) ſata conſcia clament,
Ipſæque allachryment plorantibus undique porcæ;
Si proventu harum, nullâ mercede, reciſo
Veſcebar, Dominos dirâque Tyannide juſtos
Per ferrum, eſuriemve animas efflare coëgi,
Triticeas paſſim ſegetes *Paliurus* obumbret,
Hordea lecta ſcatens reprobâ farragine meſſis.

Hæc *Jobus*; & linguam ſepta in dentalia cogit,
Vix *Fraenum*que Animis, *Finem* at Reſponſibus infert.

De Altitudine Divinæ Providendentiæ Beatissimi IOBI

Θεόπνευστος διαβιβή.

CAP. 28.

QUæ venis latuere Aurum, Argentumque repostis,
Educta, argutis suntque recocta viris:
Stringitur arte putri Ferrum de pulvere, & igne
Explorata suas Cadmia prodit opes:
Excutitur Nox opposita, atque extrema patescunt
Naturæ, & lapides quos tegit umbra necis:
Est, ubi Telluris latebras scrutantibus alveô
Exiit indigenâ, impervia lympha pede;
Nec mora; Quid durum est mortalibus? Arte, labore,
Collatâque fugax evacuatur ope.
Messe foris prætentâ, in *flammæ pabula* Sulphur
Migrat (Homo Diâ cum face lustrat) Humus;
Invenit heu blandi ipsius lapidesque Smaragdi,
Stricturasque auri triste cubile sacri:
Hunc neque rescivit quodcunque *volatile* tractum,
Rimatrix oculo non Aquila ipsa suo;

Semina

Semina nec late in prædas effusa Ferarum,
Umbrosi aut Nemoris *trux* peragravit *Herus*.
Rupibus ille manum vim transcurrentibus infert,
Et juga celsa suas sternit adusque bases:
Per fissas librata adducit Flumina cautes,
Et preciosa acri Lumine cuncta notat:
Fluxu à tantillo fletuque fluenta coercet,
In clarum & profert quæ latuere Diem.

In *medio* jacet Hæc; sed quo *Sapientia* tractu est
Quæ res infandis, sed regit æqua modis?
Haud mortalis inops, quanti valet, æstimet illam,
Nec supera in vivis inveniatur humo:
Infera, *non nostro sub gurgite*, clamat Abyssus;
Et Mare, neve *meis* (*Incola*) *degit aquis*,
Huic minimè antithetis Aurum appendetur iniquis,
Pro precio dabitur gaza vel ulla pari.
Non; aurum ostentet quamvis Ephire ipsa superbum,
Et preciosus opes Iaspis Onixque suas:
Aurum ego quid memorem? nec opimo Adamante licetur,
Multâ auri aut facti væniet *illa* strue.
Præ te, Sandastri, neque mentio facta Coralli est,
O Choncæ erasis charior exuviis!
Niliaci peramæna Venus collata Topazi
Non erit, obryzi aut lamina pura puti.

Illa ergo vis unde sagax quibus advenit oris,
Illius est aut quo vena reposta sinu?
Quandoquidem à nullo secreta superstite visa est,
Lustranti alituum subtrahiturque Choro;
Hanc super, *Exitium*, *Mors*que inquisita, reponunt,
Nos modo Famæ ejus strinxerat aura levis,

Solus

Solus ſignatamque viam tractumque ſequacem
Scit Deus, & certum, quem colit ipſa locum,
Singula non vicibus reperens, *extrema* ſed uno
Terrarum intuitu proſpicienſque poli;
Aptando pondus fluitantibus aere ventis,
Libratumque undis conſtituendo modum,
Dimenſum aſſignando imbri, rimiſque coruſcis
Per *purum* excuſſa nube ſecando viam;
Motibus his defixus *Eam inde* inſpexit & actis
Protulit, examen condidit atque ſuum;
Edixitque Viris (*ſcioli ne obtendite*) vobis
Hoc ſapere eſt Numen noſcere, jura ſequi.

FINIS.

EUTERPES,

MORS
&
IMMORTALITAS.

A Fontibus petitæ, & variis Emblematum Figuris, collato singularum Musarum Lumine, illustratæ.

Optima Tempestas miseris mortalibus ævi
Prima fuit, subeunt Noxæ, tristisque Reatus
Et dolor, & duræ rapit inclementia mortis:

O passi graviora; dabit Deus his quoque Finem.

Invocatio.

O Quæ de primis pertingis ad ultima *virtus*,
Jugi indeficiens cardine cuncta movens,
Circumagisque agili sua per vestigia gyro
Rerum ortus vicibus, mox obitusque suis;
Da mihi perpetuos Mundi ceciniſſe meatus,
Quod Chaos in priscum seque reflectit iter;
Cumque vaga in cassam evanescant *Cætera* Noctem,
Mortale & vacuus dissipet omne tenor,
Quî suus *Enterpi* constat pulviſculus orbæ,
Integer integram Larque receptet Heram?
Dicite quæ solium *Excelsi* cinxistis ab ævis
Quæ Rerum (O Musæ) Sors fuit, est, & erit.

NEc Tu poſt tantos manes indicta jacebis
Noſtra mihi *Euterpe*, licear modò (candida) veſtras
Textilibus *Lauris* ſimul implicuiſſe (*ſupreſſus*:
Sed licet, & Fas eſt! nec me tibi habenda feſellit
Gratia, quâ per ſera lubens te ſecla ſequetur
Poſteritas; mihi nec convitia (*Zoyle*) dicas,
Publica pollicitus ſi tantùm munia fallax
Privatum nunc maluerim exſolviſſe parental,
Et pluteo eductos *noſtra* evulgaſſe Decores:
Parce ſupercilio; non *Hoc mea gloria ſuaſit.*

Me Dotes, ſpecioſa, tuæ, Geniique Lepores,
Viſa & amabilior formoſo in corpore virtus,
Nec Letho ſuperandus Amor, poſt Fata *Tui*que
Trux Deſiderium, renuentem (Virgo) coëgit
Exequiis ſtuduiſſe tuis, & Carcere ab alto
In veſtri ſenſim Elogii deſcendere metam.

Ibimus in Scœnam paritèr, communia certi
Fata ſubire; tuumque meo vel Nomine Nomen
Conjunctim emerget, verſuque ſuperſtite vivet,
Unà ambos Tenebræve meræ, & nox alta recondet.

CLIO, *sive* Gloriam pangens.

Quæ latuere priùs, nunc vult MAGNALIA NUMEN
Effluere, ELOGIIS (inclyta) pande tuis,
Ipsius & *Cunas* recinens ab origine *Mundi*,
Primitias teneræ denuò stringe *Lyræ*.

Creatio.

IN ſe reflexo cum tantùm influxerat actu
Vis illa *Omnipotens*, *Mens mera*, *Purus Amor*,
Cum ſecum *Unus* erat, teſti & ſe Gloria nulli
Prodidit, indulſit participive Favor,
Seipſo plenus agens, quanquam nihili indigus, at ſe
Impulit, inque operas exiit ultrò Bonus.
Suaſit *Amor*, præiit *Sapientia*, ſumma *Poteſtas*
Quæ placuit, ſimul & præſciit, acta dedit:
Fœcundum innumerâ concuſſit Imagine Pectus,
Idearum umbras Rebus ineſſe volens;
His ſummæ ſed erat Nota cum Bonitatis in umbris
(Quanquam umbræ) fuerat quælibet umbra Bonum:
Sic Bona cuncta Boni exierant de Mente ſupremi,
Nec poterat ſolâ de Bonitate Malum:
Cuncta refulgebant; Domus, & par incola; fœlix
Illa Domus Domino, nec minùs Ille Domo;
Pulchra Domus, celebris Famulatus, amœna ſupellex,
Quam bene cultus Hero convenit iſte ſuo?
Convenis Ipſe tuo, præſtans Here, quam bene tecto,
Cœlica Fax, Terræ Sydus, Imago Dei?
Excipe convivam, at Paradiſe uberrime *ſanum*,
Ne gula ſit Domini cruda vorago ſui:
Nulla dapes ſed enim *licitas* confundet Erinnys,
Sed Pax alma Comes Integritatis erit.

POLIHYMNIA, *sive* Hymnis celebrans.

CANTICA cur ceſſant, integrum impreſſa per Orbem,
ECTYPA *Primæuæ* cum Bonitatis habes?
Materiam DEUS Ipſe dedit (Polihymnia) Laudum,
Tu *Vocem, Cytharam, confer* amæna *Melos*.

Paradiſus ſive Tempus aureum.

Pulchra Ruina Poli! in Terras delabere virgo,
Circum inſigne feras & ſacra-ſancta caput,
Jamque *tuum* propriis foveas virtutibus Orbem,
Influe & humanis mentibus alma Charis:
Ore ſaluti fero diluce, & Alaſtoras omni
Imperio piceas Eumenidasque fuga.

Nunc mundi archaicum videor ſpectaſſe Colorem,
Et Dotum effulgens nobilitate Genus:
Aurea Gens! qualem *Graiæ* nec amabilis olim
Credidit aut *Latiæ* Cantor Apollo lyræ:
Cui (Face clara ſuâ, Studiisque affinis honeſtis)
Calluit extenſim mens, voluitque Bonum:
Atque utinam Genius dubio quoque tempore præſens
Firmaſſet tali lubrica corda ſtylo.
O cæleſte jubar, pulchræ Decor incola Terræ,
Mirator Decoris ne velis eſſe tui,
Neu propriis confide opibus; *latet Anguis in herbo*,
Se dabit in tumidos quæ ſinuoſa ſinus:
Euge (future Parens fauſti ſic ſtemmatis) inſons
Perſtares utinam ſub Nemore uſque ſacro;
Creſceret integro ſic Gens innoxia mundo,
Plecteret heu meritos nec *ſua* pœna reos:
Ergo ipſa integritas poterit labi? Unica certè
Aut Deus, aut Dæmon eſſe cupido poteſt.

CALLIOPE, *sive* Ore tenùs speciosa.

Quæ modò CALLIOPE gens puro inclaruit *Aure*,
Primigenam fovit dum (genuina) φύσιν,
Deflexa ad *Proprias* Inventrix degener Artes,
Illa *Suberata* Fronte subinde micat.

Inclinatio Sœculi.

CUm novus antiquo Mundus fulgebat in *Auro*,
Inſonsque *Aſtreæ* matris Alumnus erat,
Cum puri nituere Dies, immunia labis
Sœculaque ingenio ſancta ſtetere ſuo,
Tum ſibi quisque fuit propriæ Lex Normaque vitæ,
Nec rigidæ innocuos continuere minæ:
Cuilibet in gremio tunc Fas, Lex intima nullâ
Ambage, aut *dubiis* excutienda dicis.
Fœlices animæ, fœlicia Sœcula quorum
Externâ mores non caruere *Themi*!
Sed cum fœdifrago ſensim creſcente Reatu,
Juſtitia inviſum vix tulit ægra ſolum;
Ne tamen Imperium excuſſum gens *impia* jactet,
Aut gemat immeritas *juſta* ſubire vices,
Illicet adjunxit ſibi *legem*, utatur ut illâ
Indice ſeu *Recti*, vindice ſive *mali*,
Huic Tabulas dedit & Faſces, ſævasque Secures,
Quæ bona jura ferant, & malefacta premant:
Tunc per cuncta vagæ volitabant Oppida Curæ,
Sollicitosque habuit Curia mœſta reos:
Ergo Bonum *ambiguum* (ne plectat) percipe Legem
Gens cata, prolixas conſule *craſſa* togas;
Quin petite *ambo*, ſuum redeat magis orbis in Aurum,
Utile ne expediat ferre (neceſſè) malum.

MELPOMENE, *sive* MUSA TRAGICA.

Lege errans *Veteri*, faciles ignoscite *Circi*,
Si saliente abeat nostra *Tragœda* pede:
HANCque mihi siquid simulem concedite *Scœnam*,
Mox repetam questus (& sine Fraude) meos.

Sæculi proceſſus in pejus.

GLiſcebat ſed enim ſerpenti allapſa veneno
Tabe per humanos Peſtis avara ſinus;
Deficit altus Amor, ſed & omni in Corde *Cupido*
Degener & propriæ ſtat modò fida Rei,
Commeat inque vicem dolus, & violentia conſors,
Sed tacito primum par furiale gradu:
Intima quo patitur *Themis*, & jam clade laborans
Cardiacâ, externam languida quærit opem:
Hinc Præcepta, Preces, & defectoribus aptans
Pharmaca flexanimæ tentat amica ſcholæ:
Sed ruit in vetitum Improbitas, & ab obice ſævit,
Ergo *Feræ* Leges ferrea clauſtra truci
Logumque oppoſuit cuſtodes (hos & ab alto
Deſpicit) *ore* ferox, indomitumque genus,
Et claſſes coràm ad Putealia rauca canoras,
Qui dictent æquis Jus faciantque modis.
Hi velut Herculeo *augentes* certamine Cacum,
Os pariterque ambas conſeruere manus;
Sed fruſtrà! His etenim malè ceſſit (proh Themi) virtus,
Vicit & Heroas vilis Agyrta tuos:
Quo viſo abſiliit Terris pia Transfuga linquens
Nos nequàm unà, Homines, cauſidicoſque bonos.
Summe Pater juris probrum devolve pudendum,
Juriſtis *ſtabilem* denuò redde Themin.

TERPSICHORE, *sive* amœna saltatrix.

Ruſtica plaude PALLAS! Tepeſte ASTRÆA vaganti
Eximit, Hoſpitiis *Advena* facta tuis:
Duc *Saliarcha* choros; tibi deſerit integra Cœlum
Virgo, manus *charites*, datque *pudicus amor*.

Ruris Encomium.

ERgo Poli ſtationem adiens, (brevis Hoſpita Mundi)
Ah pede deſertam *juſta* repellis Humum,
Gazasque omnimodas, verax *Pandora* reportans
Terram opibus ſpolias terricolasque tuis?
Proh fletu haud explende Dolor! *fuit* aurea Rerum
Gratia; nunc omnes ſquallor & *atror habent*:
Verum O quandoquidem mediâ placabilis irâ
Orbi adimens Dotes, *ſpem* ſupereſſe velis,
Hâc face per totum veſtigia proſequar orbem,
Si qua impreſſa tuo ſint loca Diva pede:
Nam lux plena licet non uſquam effulgeat, oris
Rure tamen rutilans ſubmicat Aura tui.
Hic Fidei fraudum rude pectus, neſcia fuci
Simplicitas ſpeciem *Relligionis* habet;
Veraque Relligio tenues plerumque tabernas
Viſit, inauratos reſpuit atque tholos:
Quinetiam hic viridi *Chloris* juveneſcit amictu,
Elucet geminis Nymphaque *Flora* novis:
Flatibus hic refluis levis eſt exercitus Aer,
Excutiuntque Animæ toxica craſſa vagæ:
Hæc oculis avidis reſpondent, naribus *illa*,
Et *Venus* inſigni Rure ſoluta ſalit.
Salve dulce Decus! ſed enim rapidiſſime tranſis
Floſcule, præcipites nec remoratis equos.

THALIA, *sive* Efflorescens.

Lilia, Fraga, Rosa, (soboles peritura THALIÆ)
Quo fuga! sis *vivax* aut mihi nulla VENUS,
O suspensa levi qui das modò *Gaudia* VENTO,
Sorte ratâ, & tristi fac sine *clade* fruar.

Rerum flos, & defloreſcentia.

Dicite quæ vivis per roſcida prata fluentis
Expediiſtis iter, quo properatis aquæ,
Vos & aromatici ſurgenres vere colores
Terræ ubi ſub Brumam decubuiſtis opes,
Quo recidive viror foliorum, albedo Liguſtrum
Calthæ *flava*, Roſæ Lux *rubicunda* fugis?
Dic age, pictus Honos, (fragilûm emarcentia Florum
Schemata) in æternum decolor exit honos?
Gens taciturna ſilet; ſed enim denſiſſima paſſim
Turba viatorum publica ſigna docet;
Scilicet in gyrum Naturas uſque relabi,
Alterniſque actas ire, redire, moris;
Hinc vada in Oceanum vergunt obitura perennem,
Mox redeunt lymphis inde renata novis;
Quæque *ineunti* Anno ſuperum Proſerpina tractum,
Cedente, infernum (ſed reditura) petit:
Ergo leves vitæ, vaga Natio, transfuga rerum
Flos brevium, rurſus mox oriturus obis;
Jugiter aſt homini nox incubat *Una*, nec iſto
Orbe revicturo contigit inde mori:
Flete gravem ſortem: *Mundo ſed flebitis omni*
Mortales; cunctos reſpicit iſte Dolor.
Sed populo haud canimus, propriam (*Libitina*) querelam
Proferimus, *Nos* heu *Noſtra*que dura rapis,

EUTERPE, *sive* bene placens.

Nulla *citis* STATIO est: actus ruit *Orbis* in orbem;
Momento distant *vita*que *mors*que brevi.
Qui dedit EUTERPEN, recipit: vale amœna *parens*:
Viva placens; *Sponso* nunc placitura tuo.

Luculentum utriuſque in *Euterpe*, ſpecimen.

ANgule, pande ſinum, pateas anguſtule: præfers
Pol ut aperta *Thorum* denuo clauſa *rogum*?
Inſtrumentum aneeps! contraria munia præſtans,
Hinc vitæ expediens uſibus, inde Necis:
Credideram gremio *ſpes* & *mea gaudia* veſtro,
In tenui & cubuit virgo tenella ſinu:
Opportune ſpecus teneræ (dum vixit) Alumnæ,
Votis opportune, hâc moriente, meis:
Cedò meum mihi *depoſitum* brevis angule; *tantum*
Non potes? at ſaltem hoc (angule) cedo mihi:
Quid precer? O Luci ac tenebris interſite limes,
Aut mihi da tenebras, redde Diemve *meæ*:
Sis mihi pro *Tumulo Thalamus* qui non eris illi
Angule, jam Ornatus una Cupreſſus erit.
Turbam & Circenſes hinc mando faceſſere cœtus,
Cedite; ſubducto en Angulus iſte placet:
Qui noſtram primis *ſuperantem* vidit in annis,
Pro mundo *hic* nobis Amphitheater erit:
Plaudite Cœlicolæ; vix gens terrena *merentem*
Senſerat; exultim lucida plaude phalanx,
Fundite lætitias; & Nos lætemur in umbris,
Nec turpet cineres lachryma fœda pios.
Luce tuâ æternum, noſtrâ breve vive Camœna
Immoriar Tenebris dulcis alumna tuis.

ERATO, *sive* amoris affectio & perfectio.

Fer *Libitina* faces, *Pulpam* Phœnicis adure:
Efflatos cineres *Integra* coget Avis.
Dede *Chao*; vacuam tamen *hoc* cum absorpsit *amatam*,
Qui per hians retrahat guttur *Amator* erit.

Reſurrectio juſtorum.

SEd quo Sarchophagi Imperium! confidite ſanctæ
Relliquiæ, victrix cœlica virgo necis:
Nec (tabi accubitor quanquam putriumque vaporum
Materies, levibus Ludibriumque Notis,
Erro migres per inane vagum, extremasque recedas
Uſque Atomos) reditum ſubvereare *cinis*;
Non ita (Sponſa) tuus pepigit tibi fœdera Sponſor,
Conjugis aut conjux deperit exuvias.
Qui ſibi te *totam* in theſaurum elegit Amator,
Sub ſcrobe dimidias proteget acer opes;
Depoſito integrè cuncto à Raptore retracto,
Nil *vi*, nil tacitis deficiente *dolis*:
Mens aſſueſce tuis prorſus ſecura Triumphis,
Ocyus in ſolitam nec velis ire domum.
Ito in *Fœlices* Domus intemerata *ruinas*,
Improba te in labem nunc Caprificus agit.
Puram Habitatricem putre (ne diffide) Sacellum,
Purgatam accipies mox Hera ſancta Larem:
Cedet iö vitæ mors emoritura perenni,
Fatalesque manent jam ſua fata rogos.
Sponſe Necis domitor, ſponſæque Redemptor humatæ
Nubibus acceleres, per liquidum æthra, citis,
Morticina inclamans *Exurgite membra Sepulchris*,
Sentiat auritus forte Celeuſma Cinis.

URANIA, *sive* Cœlorum incola

Hactenus *exilium* & constringens in cute *Carcer*,
Compressæque gravi *corpore mentis* onus:
Vicit jam URANIE, nec habent Mala Prima recursum;
Salvifici perpes nunc init ÆRA DEI.

Beatifica cum Chriſto in cœlis communio.

CAſſe cinis; cui viva Dei coaleſcet Imago,
(Mens ſacra) ſe *geminis* uniet Ipſa *Trias*;
Indormito ſpei dum Nox brevis exit opimæ,
Ille tuus properat (fauſta *Relicta*) dies;
Illibata Fides, Deſideriumque mariti
Conjugii expediet Tempora plena ſui.
Spes rata ſtat fido Sponſi ſignata Sigillo,
Nec *te* deſtituet ſpesve, *Tuum*ve Fides.

Ille vehens rapidis iteratum per Chaos horis
Clanxerit hâc, caſſum per penetrale, tubâ;
Exoriare dies vacuæ inſtaurator Eremi,
Per vaſtum redeat noſter inane Decor:
Dic ſpecioſa ſuis ſe Nympha oſtendat ab umbris,
Meque *meæ* reddas hora; meamque *mihi*.
Adſis *Amœna* meâ præfulgens Luce, mariti
Effigies, quo me bis fruor Ipſe typo:
Unica noſtra tui (jam fas) ſit copia Sponſi,
Suſpicias Lumen, Lumine fixa meum;
Nox abiit, ſævaque ſonantes nocte procellæ,
Lene refrigerium jam dabit *iſte ſinus*;
Ingredere, æternumque habeas *præcordia* portum
Sanguine *quæ* tibi jus hoc peperere ſuo:
Nunc vetus Æra redit, *vitam ſua* rettulit *Arbos*,
Sed Mulier, Serpens, Eſcaque mortis abeſt.

Ne ſequentes vacarent Paginæ, libuit aliud Carmen (licet non ejuſdem Argumenti) præcedentibus attexere.

ARx ſalve Rutupina mihi, peramœna *Clienti*
Et *Statio* (alternis) *curriculum*que tuo;
Quidnam ego pro gremio referam nutricula leni,
Hoſpitio, requie, pace, ſalute tibi?
Laomedontæi ſtabilirem Robore muri,
Vis foret *Herculea*, & ſi mihi fabra manus;
Mox equitum offundens prætentis mœnibus alas,
Ipſe antegrederer Dux, cataphractus Eques;
Ipſe caballiviros pugiles in funera *primus*,
Agmina Centauros & temulenta darem;
Evulſisque ſolo radicitùs hoſtibus, uſque
Durares ſolidâ Turris amica baſi.
Macte tuâ virtute! ſacræ *Pietatis aſylum*
Dum fueris, caſus ne vereare malos;
Te nulla evertet violentia, (gnarus Aruſpex
Auguror) aut vallum fregerit ira tuum;
Sed neque *præſtigiæ* (non hoc ſine Numine dixi)
Prævaleant rhombis implicuiſſe ſuis.
Te Cives ſervare tui, ſervare *Tuo*ſque
Suffieient *Pietas* & genuina *Fides*.
Artibus his poterant divino ſemine creti
In ſortem, à trepidâ ſorte, migraſſe *ſtatam*;
Hâc ſibi longævos fixit Gens ſancta penates;
Per gentem ſteteris *Tu* quoque firma piam.
Viceris *incanos avis* (diuturna) Coloſſos,
Piramidumque tibi ceſſerit albus *apex*;

Nec

Nec *tàm* immobiliter *Capitolî immobile ſaxum*,
Aut ſtetit Achaicis Acrocorinthus aquis;
Hæc poterat Bellona, & edax abolere vetuſtas,
Vis tua ſed ſtabili lege maneret *honos*;
Nec titulis (licet ipſa ſitu ſint bella videri)
Æmula caſtra forent ſplendidiora tuis;
Stat caſtrum elatumque tibi, horrendumque videri,
Davidico velut arx nobilitata ſtylo.

Surge age *Semianimis*, ſublimemque erige frontem,
Suſtentet recreans Anchora fixa ſpei;
Neve inimicitiis nimium quatiare *propinquis*,
Quas excivit *Eris*, fovit *Alaſtor* atrox:
Reprime degeneres motus (heu magna puſillæ
Flabra animæ) *Imperio*, *rerum apicique* graves,
Lethæoſque hauſtus, & acerbæ oblivia litis
Longa trahas (*Hoſtis candidus*, *oſor amans*)
Injice frænum animis, privataque jurgia dele,
Communes hoſtes impetus iſte petat;
Zelotypæque odia, & furias compeſcere turris
Ambas certatim concitet *unus* amor:
Ite in graſſantes, *ſocialia Caſtra*, maniplos,
Et precium juncti fœderis *iſtud* habe,
Vindicias patriæ, *ſcelerum fugam*, *honeſta bonorum*
Præmia, *Legum Æram Evangeliique novam*.
Quid cupiendum æquè *diſcordia corda* tulerunt,
Iræ infælices, invidiæque truces?
Hæc & in inſidias *cauſam* cladeſque dederunt,
In *Patriæ* & peſtes *Relligionis* atras.
Pellite Tartareos lemures, Hecateſque malignas,
Gorgonas, & ſtygium *ſpectra tremenda* pecus,
Voſque ſalutiferæ Pacis delectet imago,

Mutuus

Mutuus & vigeat *magnes amoris amor*,
Unica relligio nodo divinciat arcto,
Colligat inque unum dissita membra caput:
Vos *meta una* trahat, circumvehat *una voluntas*,
Dux unus præeat, protegat *una Salus*:
Sitque (Arx fida) tibi pro *rupe Altissimus*, ejus
Incubet *Altrici* pectus & ala *mea*.

Tuque sagax Summæ rerum præfecte Senatus,
Numinis acceptas qui geris ipse vices;
Sis præsens tutela *tuis pereuntibus, orbis*,
Quique odium ac lis sunt *hostibus* atque *suis*:
Undique tentamur miseri, furor irruit extrà,
Intus perfidiæ sublituere faces.
Sic olim infidis cesserunt Pergama Graiis,
*Vi*que quod haud cecidit, *proditor* ussit *equus*.
At vos magnanimique duces, incoctaque *honesto*
Agmina (quâ vario stringitis arma situ)
Direptæ passim spoliata per oppida genti,
Abjectisque animis expediatis opem;
Conspirate *uni* unanimi virtute *Brittanni*,
Hostica ne tenues opprimat ira *Tribus*.
Quis jam *Scotum* acuens validum Buchananus in hostem,
Anglorum & lectas, in pia bella, manus,
Clamet iò *portas reserate refringite vectes*,
Nullaque præcludant *obvia claustra* viam?
Pergite! sed Britonum (quantum fas) parcite vitis,
Ingentes animas nec sica cruda metat.

FINIS.

DE PEREGRINATIONE, ET TEMPESTIVO RECESSU CARMEN: AD PEREGRINUM CARUM.

HÆc ego Silvarum assiduus mollísque Vacunæ
Accubitor, taciti tenebris circundatus vti,
Sollicito sed amore vigil, *gratísque* retentus
Excubiis, (super Officiis, cultúque Juventæ
Morigero) insomni expediens *Paidentica* curâ
Ore pio cecini: Dum Tu Peregrinus aviti
Nominis, & Genii, Patriúque haud immemor Hæres
Cultûs, exemplíque habilis, conamine dotes
Excolis infusas proprio, & bona semina jugi
Sedulitate fovens, solidam accersénsque Minervam
Eminùs ascito *nugari* desinis usu.

Scilicet (*exertos* sors, & Deus ipse secundat)

Eſt operæ pretium nativum ſpernere nidum,
Nec teſtâ latuiſſe brevi, *Gentilia* tantùm
Et ſtudia, *indigenæque* orbis cognoſcere mores:
Præſtat abire foràs *bene-nata*, & gnava Juventus
(Quam ſacra vis agitat) *propriiſque optanda lapillis*
Exilia indixiſſe tibi, Decet indolis altæ
Virtutíſque viros, *Geniis* vi cœlite tractis
Inter ſe coiiſſe, nec hâc modò tangere *Pulpâ*,
Verùm *animis* pariter miſceri, & deſuper ictis
Utrinque ingeniis efflictim extundere Veri
Collatâ igniculos operâ, & fomenta micanti
Unâ animare ſinu; *deſes*, *diſcinctáque Syren*,
Et Circæa chelys fugienda; per æquora longè
Velivola, arentéſque ſiti Telluris arenas
Perrumpenda via eſt *Sophiæ*. Vacet *intima* rerum
Aprico luſtrare oculo, atque impreſſa ſagacis
Naturæ *ſubolere* omni veſtigia tractu,
Venatíque *palàm*, totum accitíſque per orbem
Inſtruxiſſe animum dapibus, *privá*ſque lacunas
Impleviſſe *foris* peregrini è Fontibus hauſtus:
Publica vena patet; ſpatio haud compingitur arcto
Pallas tantùm *Vnis* nec vivitur (*intus*) Athenis,
Extera quærenda eſt ſapientia, & *Extera* ſummum
Promeruere Decus, ingenii *defigitur* ullo
Nec *Sale* Phœbus iners, ſed mente *volatilis* omni, &
Gente ſuos vel habet, poterit vel habere, receptus;
Quâlibet exquirendus humo, Geniíque colore
Omnigeno; exemplo Pictoris, qui quod *Vbivis*
Prænituit Venerum, *Venerem* cogebat in unam.

Nec *Decor* omnino, ſed & *Vſus* qualibet orâ eſt
Comportandus, apis ritu prudentis, in auras

Quæ

Quæ ſeſe *inſtabilem* (juſtæ haud ſine mole ſaburræ)
Conjiciens, pratis ſic demum inſedit opimis
Prædatrix, lucroſam exercens callida technam,
Dulcia furta *ſibi*, nec parco ingrata Magiſtro
Ore ſimul pedibúſque ferens; *Hyemí*que, *Famí*que eſt
Cauta, *infrugiferó*que viatica proſpicit anno:

Fœlices! queis deliciis adoleſcere in iſtis
Impunè, & multâ licuit conſuêſcere *Veſtâ*:
Quod ſi *prima* mihi properæque volubilis horæ
Tempeſtas, quæque interiit foret illa Juventus
Incolumis, non *voce vigens*, neque deſide tantùm
Eloquio (obſtreperæ reſupino more Cicadæ)
Inter agens dúmeta (ſoni conflator acuti)
Ore cierem alios, ſpaciis ſed *liber* apertis
Primus obire plagas, varii & vaga clymata mundi
Geſtirem, & rapidæ *compendia quærere* vitæ,
Inque *moris* ſpaciari arctis: ſed læva *remiſſum*
Mens pridem abduxit, nunc duris vincta catenis;
Fracta malis, ſquallenſque ſitu, & ſibi conſcia probri
Indecoris, proprio latitans immerſa receſſu
Oſcitat, excelſóſque (impar) ſubterfugit auſus.

Tu (Decus) auſpiciis ductus melioribus, iſtam
Illuviem, labémque animi maturiùs *æquo*
Numine deponens; curis *correcta* ſecundis
Reddis, & admoto recolis *bene-nata* labore
Strenuus; Hinc patriæ illecebras, & dulce relinquens
Hoſpitium (pectus generoſæ laudis avarum
Fortiter excutiens) peregrina pericula votis
Omnibus expoſcis, vitæ neque cedis inerti;

Nec mora! quâ celebris *Rutupini* littoris agger

E Regione ſitæ *Morinorum* proſpicit Actæ
Mœnia, tranſieras rapidâ freta cærula pinu,
Et *Geſſoriaco* ſteteras novus advena portu:
Hìc fœcundâ ſinu Populorum mater & Urbîum
Gallia te excepit primùm, quondam æmula Bello
Romani Noſtrique Orbis, ſed ceſſit utrique
Impar, & *ambiguæ* juga pertulit inclyta Troiæ
Nobile Mancipium; ſed nec proſtrata ruinis
Funditùs, erexit tantis ſe cladibus *Ultrix*
Poſthuma, nunc Damnis ſolidâ ſtat mole *ſuperſtes*;
Surgentémque experta rotam eſt: Sic Alea fati
Alternis ludens vicibus, ſus-déque rotavit
Humanòſque *apices*, depreſſique *ima* profundi.

Sed tamen emenſum ſpaciis dum conficis *orbem*,
Totáque circuitu tibi *Gallia* viſitur uno,
Fluminâque obſervas veteres lambentia Turres,
Et firmas Regionis opes, *juvet* ardua Gentis
Geſtorum monumenta tuæ, & loca nota *Britannûm*
Illuſtrata armis, paſſim decora alta potenti
Parta manu, raptos faſces, Inſigniáque ampli
Imperii, atque *Anglis* domitos *agnoſcere Gallos*,
Præteritúmque decus, Famæ que umbratile lumen:
Tunc tibi ſic! *fuit & noſtrô (fuit) inclytus orbe*
Hector, & armipotens virtus, invictáque bello
Dextera, palantes *quæ* diſpulit æquore Gallos,
Mœniáque, excelſaſque Solo quæ æquaverat arces
Fulminea, non *Ille* pilas, neque ludicra miſit
Sphærica languenti ſtudo, ſed conſcia lethi
Miſſilia, immanique trabes de mole baliſtæ
Excuſſas, ferríque globos, & fervida plumbi
Pondera, nunc caſſas *anima ingens* ceſſit ad umbras:

Tum

Tum ſuper his (fibris ſuſpirans fortè ſub altis)
Heu; ubi ſydereus fulgor, quonam (*inquis*) Honorum
Vergit apex & nota olim, connatáque virtus?
Exoriare dies, volucri ſuper axe revectus,
Quando redux juſti clareſcat Adorea Martis,
Et docilis Pubes in avitis fulguret armis,
Immanéſque iræ, & civilia jurgia ceſſent:

Talia crediderim (ſed enim majora) volanti
Te curſim ſtrinxiſſe animo, dum *ſchemate* ſenſus
Affini irritant ſpecies; verùm impiger urges
Propoſitum, gentéſque alias, ſpectâcláque captans,
Verſicolore novos accerſis imagine motus,
Collatáſque alto recoquens ſub pectore Formas
Incrementa animi, viréſque acquiris eundo,
Pulchráque, raptori ſpolia *impermiſſa* nec ulli
Convehis, & varias fers unà in pyxide prædas:

Pergis! & exuperans Gallos poſt terga relictos,
Lemaníque lacus Arcem, & tam mænia Bello,
Quam Pietate ipſâ, atque Heroibus inclyta Sanctis,
Per juga mox Alpina (odiis data clauſtra propinquis)
Et *Pede-montanæ* fœlicia jugera glebæ
Tranſis in Italiam, *prælatam Gentibus unam*,
Quæque ſuis orbis reliqui prælucet amænis,
Deliciáſque omnes Maro (*Te Præcone*) refellit:
Quam Deus (immenſum Populis cum ſcinderet orbem
Conſultúmque viris voluit) porrexerat ægris
Perfugium, longúmque *Bonum* protendit in æquor,
Militiæque dedit, *virtutis* & eſſe *palæſtram*,
Eloquii, Sophiæque Scholam: Cui ſe Hellas, *honores*
Summiſitque ſuos, *Artéſque* & *Arma* legavit,

Jam cedens Fati imperiis, Legique ſupremæ:
Hìc *cœlúm*que, *ſolúmque* Triumphis fœta ſuperbis,
Et deſignatas claris victoribus oras
Suſpexiſſe juvat, regnataque fortibus arva
Exulibus; juvat excidium, *Troiæque* redemptas
Relliquias tandem (longis erroribus actas)
Conceſſas Latio, reparatáque Pergama victis,
Æneæque Domum, & fatales ordine Reges,
Et conſanguineos Bruti *revocâſſe* penates,
Primævos animis retróque revolvere faſtos,
Vagitúſque ipſos, magnæque *crepundia* Romæ
Integrum quondam dicentis jura per orbem.
Verùm ô ultrices diras! Illa inclyta Roma
Quæ imperium Terris, animos æquavit Olympo,
(*Naturæque decus, Sortis molimen & ingens*)
Nunc trabeâ detractâ, & Majeſtate minutâ
Dat pœnas (velut ereptis cornicula furtis,
Deplumis, Satyráſque movet nudata jocoſos)
Divináſque experta vices, jam (Pollice verſo)
Ipſa *ſuos Manes, Nemeſin & alaſtora* ſenſit.
Sed tamen evaſit lethalem utcunque ſecurim
Perdita, perdenda & *meretrix* plagámque nefando
Carmine, Circæâque *aliquâ* deleniit arte,
Et picturatis etiamnum pulchra lacernis
Mœcha canens, gemmâ potandos præbet amores.

Sed quæ tanta fuit Romam tibi *cauſa* videndi
(Optime) flagrantémque accendit (*idonea*) mentem,
Extinxítque metus, audacis & *Omina* cœpti.
Depulit *augurio potiori*, ac corde removit
Solliciti terroris onus, *ſpe triſtiáque hauſit*?
Quidnam agè ſuaſit iter, quæ ſuſcepti œſtra periçli?

Non

Non Famæ ventoſus amor, ſtimulúſque ſciendi
Vana ſupervacuus, præceps & in *ardua* faſtus,
Perfidáve Ambitio, Mitris, emptámque Tyaris
Quæ ſinit eſſe *Fidem* Veri Rectique magiſtram:
Nuda ſed integritas, candórque & conſcia Sancti
Mens ſibi Propoſiti, (auxiliis munita ſupernis)
Ardor & arcanum *Scorti* retegiſſe pudorem;
Quinetiam Archaïcis operam admoviſſe ruinis
Quâ poteras, Noctémque alis ſuper atra cubantem
Marmora Cimmeriis telis arcere diei:
Scilicet hic animus, ſtudii hoc molimen honeſti
Miſit ad inceſtam, & meliorem à ſede recepit.

Vicimus; & precibus remeas datus advena crebris,
Et mea cum multis retulerunt Vota fugacem:
Ah quoties dum Tu *infidas* colis *externus* urbes,
Indigenis Coridon iteravi *ſolus* in agris
Ducite ab *URBE* domum mea carmina ducite *Carum*:

Quin Animæ in mœſtis, Amitæque penatibus ægræ,
Dum numerant tardos revolutis menſibus annos
Exilii ſpacia ampla tui, ſtadiúmque *Pericli*,
Laſſæ animis, victæque *moris* & amoribus ictæ
Heu quoties fibris ſuſpiravêre ſub altis;
Ducite ab URBE domum ſuſpiria, ducite *Carum*.

Chara reparturiens Genetrix transfixa dolorum
Cuſpidibus clamat; Quæ nox me intercipit? almum
Tam ſubitò migraſſe diem! Meus occidit an Sol?
Quo meus Endimion indormit *Delia* Latmo,
Quóve latet? ſed Luna ſilet; Tu te mihi monſtra
Lux mea, ceu *Latium*, tenebroſâve *Scotia* celat
Emica, in aprico velis & *jucunde* videri.

Heu fruſtrà errantem revoco; tentabo *Marinum*
Confluxum: O quicunque *aliis* veniſtis ab oris
Dicite ſi profugi juvenis veſtigia voſtris
Emineant impreſſa jugis. *At quis fuit ille?*
CARUS, ab orbe domum *bona turba* remittite *Carum*:

Ipſa tibi excutiens gravidam *vox Numinis* aurem
Care, quid excurſas inquit? *tibi* Paſtor Amyntas
In patriis conſedit agris, *tua* paſcua ſervans,
Formoſo pecori formoſior ipſe miniſtrans;
Confer ab *Urbe* domum te *lente*, revertere *Care*.
Dixit! & arcano feriens præcordia motu
Suavi-potens perſuaſit Amor; redis impete (*Care*)
Icte ſacrâ, properóſque paras (extemplò) regreſſus:
Carus ab orbe *alio* ſolvit, jam ponite planctus,
Edite jam plauſus, *noſtro* ſtat littore *Carus*,
Vicimus! & precibus rediit datus advena crebris.

Luſimus iſta rudes: liceátque *impunè* ſolutis
Pectoribus luſiſſe, modo agreſtíque *rotaſſe*
Carmina, & *Exodiis* alacres imitâſſe colonos;
Sin (velut in Matronâ *ipſi quid diſpar* honeſtâ)
Diſplicet hic habitus, *inconvenienter* & *urbi*
Diſſidet; En aptum enitar ſervare *colorem*,
Cultu & civili *venerandum* exponere *Verum*.

Fœlices! quibus olumbi experrecta veterno
Mens, atque ingenuo ſatis exagitata labore,
Emenſos poſt circuitus, multúmque peracti
Curriculi, atque viæ ſpe metæ optabilis hauſtæ,
Tum demùm redit ipſa ſibi, proprióque quieſcens
Conſidet in Latio, peregréque erroribus actis

Secum

Secum habitat, curis & acumina fausta secundis
Admovet, atque suos haud blandus censor oberrans,
Descriptos reputat sedato in pulvere gyros;
Componens, redigénsque scopum sapienter ad ipsum,
Lineolísque adhibens Mensuram & Schema quibusvis
Debita, *vitæ aptas* format *Bio-metra* figuras;
Mox & avens studiis condire negotia lætis,
Pierios ornat medio in sudore recessus.

Otia *pacigenas* Artes, blanda otia lenes
Musas excepêre, utero quas Græcia mater
Gestâsset cum fœta diu, abstinuítque (*tumultu*
Plena) Puerperio, innocuâ in cunabula pace
Effudit, partásque supinis auxit Athenis:
At concussa novis tremeret cum motibus Hellas,
Progeniem trepidam post Punica Bella quieto
Deposuit *Latio*: Tunc alma per oppida se *vis*
Indolis *Ausoniæ* explicuit, strepitúque fragoso
Paulatim *ponente*, assurgens crebrior aura
Palladii afflatûs, Sophiæ inspiravit amorem,
Prægnantes fovítque sinus, sensimque removit
Barbariem concretam animis: Mansere vetusti
Dedecoris sed enim passim vestigia, donec
Appulit Augusti Parcis fœlicibus ætas,
Integrâ quæ Pace beans, plenámque Vacunam
Concedens, dedit externis requiescere curis,
Prorsus & *in sese* studiis descendere totis,
Atque Animum sapientem *uno* sibi quærere voto.
Hâc decus, & præclarus honos, apicésque supremæ
Laudis, in insignes cesserunt Pacis alumnos,
In procerésque Togæ: nè spernas fortè quietos
Heroas, *circúmque* magis sectere *vagantes*

Mens

Mens quibus eſt vagulis, viget ínque *gradaria* plantis.
Scilicet effuſos nocet uſque emittere greſſus,
Profuerit *longos* & in *orbem* flectere curſus,
In ſe maturèque animum revocare reductum.
Quiſquis inexpletùm ſpecies modò captat inanes
Perſpicuus, Formas recipítque *forinſecus* actas,
Non habet ille Viri, aſt *vitri nihil INSTAR agentis*,
Inſervítque aliis *patiens*, ſe haud perficit ipſum:
Utilis ille ſibi eſt animus, qui *ſe* undique cunctis,
Miſcet Imaginibus, caſſíſque admotus inhæret,
Et lento incubitu recreat ſine fine *moraton*;
Quin fotúque animans, animatas & ſibi adaptans,
Ipſe ſui eſt Opifex, foris haud ope fretus inerti,
Intùs ſe indigenâ formans *operoſus* at actu:
Non licet at *mediis* animam ad ſibi vertere *turbis*,
Hoc Paces habuere bonæ, vacuíque receſſus:
Pax, & amœna Quies, Naturæ optabilis omni,
Pax adeò Ruri horridulo, Pax utilis Urbi,
Gentibus Hæc placidis, & atrocibus optio Turcis,
Laſſus avet diras Tartar poſuiſſe machæras,
Et fidibus finire tubas: Corda *effera* mulcet
Feſſarum Requies ſuaviſſima portio Rerum:
Nec tibi diſpliceat (Bone) Res ſuper omnia dulcis;
Et poſt geſta *agilis* gaudet requieſcere *Virtus*,
Quin *Opifex* ſacra-ſancta *poposcit* & otia *Numen*,
Quæque author fecit, reducem movet actor in orbem,
Ipſe ſed in tantâ immotus vertigine perſtat:

Deſine longinquas, jam deſine quærere Terras,
Sat ſpatii exhauſtumque viæ: nunc corripe metas
Exilii, & proprio da te (maturiùs) Orbi:

Jam (reor) in ſomnis ſancti Genitoris Imago

Suggerit,

Suggerit, ô *Animæque* meæ *genuina* mearum
Atque *precum* ſoboles, noſtro *mea* degere ritu
Quin velis *Effigies*; mores patrios, & amores
Exprime Nate *tuis*: *Patriæ* (legum alme Miniſter)
Incubet expanſim vigilis *præſentia* curæ:
Frange malos, ſolare pios, ſis omnibus æquus:
Perfer, & indura, *vitámque paciſcere pulchrâ*
Virtute: Hic olim fuerat *mihi*, ſit *tibi* trames,
Hâc preme (Nate) meos (brevis eſt via) perprime greſſus,
Huic inſiſte, *novæ* ſine calcent *extera* plantæ:

Deſine longinquas, jam deſine quærere Terras:
Quid non vincit Amor? pecudéſque volatile quodvis
Et genus imperio victor regit almus amœno:
Ille etiam teneris infigit matribus œſtra
Ingentis deſiderii: Et tenera eſt tibi Mater;
Tu (pia Progenies) teneram cultu excipe matrem,
Illa Tui jampridem *abeuntis* victa dolore,
Illa Tui penitùs *remorantis* imagine languens,
Ventos, vela, ratéſque adeò, inſtrumenta Fugæque
Cuncta odit, Pelagúſque ipſum inſociabile monſtrum;
Stirps pia jam teneræ prorſus te redde Parenti.

Deſine longinquas, jam deſine quærere Terras:
Ille tuus noto recubans ſub tegmine Amyntas
Securus cuſtodit oves, & paſcua lætis
Matutina aperit, medioque fluenta ſub æſtu,
Et veſpertinis pecus ambit debile ſeptis:
Officiis exultat ovans, & *ovilibus* inſtat.

Deſine longinquas, jam deſine quærere Terras:
Circumſtans reducem peramæna caterva ſodales

Hæret

Hæret inexpleto amplexu, trepidánſque voluptas
Ambigit, haud ſibi fiſa ſatis, prolatáque penſans
Syllaba, ſuſpitione levi proclivis inerrat;
Hæc tibi quæ cecidere? rogant; iterúmne revixit
Corde Fugæ ſtudium, Nos, noſtráque vota repellis?
Videris at *tibi* (Dure) vagantem in littore *Scævum*
Hippolitum effrænes obtruncavere quadrigæ,
Mitte viæ errores, fixæ jam proſpice vitæ.

Sparge (Marite) oculos, *quamvis* tibi delige *Nympham*,
Sparge oculos, *unus* præ multis dignus Ephebis
Nobilis in thalamos cui ſeſe indulgeat *Hebe*;
Sat *(Peregrine)* plagis *cœlebs ſoluſque* remotis
Mane novo errâſti, ad *gratum* nunc Care *ſoporem*
Veſper *ovans* revocat: *Tibi* deſerit *Heſperus* umbras;
En vaga neſcio quid; ſed *Hylax* quid *amabile* latrat;
Sic eſt! & jam Rura iterant *geniale* celeuſma,
Continuo fremitúque *Hymen* ô *Himenæe* recantant,
Pæani repliçans *vociſque* alludit *Imago*;
Parcimus en monitis; jam Devia ſponte relinquis.

Sed nimis ô *morum* juvenili ardore *Magiſtri*
Contigui jam grandi ævo, ſpatiiſque ſeveris
Luſimus (indecores) Cytharámque Thalia retractat
Tempeſtiva parùm: nè deſævite *Catones*,
Non mea proſtitui laſcivis otia Muſis,
Sed plerumque *graves* ſano de pectore *ſenſus*
Applicuere *tonis paribus*. *Mihi* Carmine prorſus
Sin luſiſſe nefas, *Urticam* protinus iſtam
Corde adimam; numeros componat *idoneáque ætas*:
Ipſe *modos vitæ*, *& numeros* nunc diſco *Magiſtræ*,
Atque recenſitos curâ cenſoris honeſti

Corrigo,

Corrigo, & exactos *in verſus* ordino mores;
Sin minus, aſt in *metra reducere* tento *vagantes*,
Ne metas ultra modicas ſe abnormia prodant
Errata, integram prorſus mereátque lituram
Fugè Solæciſmus Vitâ obſervandus in omni:
Dedecus ergo vetus, *virúſque inamabile* nitar
Defluat ingenio, *Veneres Charitéſque* reſidant;
Parcior aut ſaltem *probris* dehoneſtet *Erinnys*.
Hæ mihi ſint Artes toti præſcribere normam
Curriculo, & fibras polienti radere limâ,
Atque ſubinde *unguis* lapſu explorare Severi.

Procudant alii ſpecioſa vocabula fabri,
Et Scænæ, ſtudeántque Scholæ: Res, ipſáque tractent
Inſtrumenta adeò *civili* accommoda vitæ;
Delicias ſectentur, opes, Fomentáque faſtûs
Turgida ventoſi; quicquid petit inſcius error,
Cogit Avarities, diſperdit & Helluo Luxus:
Sed mihi nec vitæ gnaro, cupidóve potentis
Haud opus *His*, ſtudiúmve *bonis*, ſed lenè fluenti
Sorte frui, noſtris paria & verſare lacertis:
Nil animo ſperare *alti* aut ſpirare minuto
Vel licuit, libuítve: Domo ſim dives egenâ,
Liber in anguſta, obſcuris ſat clarus in umbris,
Integer & quocunque loco; ſin dotibus iſtis
Munditiæ faciles, vacuæque à ſordibus ædes
Accedant, ſpes *vota tenens* poſt terga reliqui.

Nam quorſum ulterius? longæ quæ præmia metæ
Fortuitus quo cedit apex? En culmina rerum
Præcipiti de ſede ruunt, fundóque revergunt:
Quo tumor, aſſiduíſque ſtruenda potentia curis,

Sollicitíque

Sollicitíque gradus, vitreo & tibicine nitens
Ambitio,& claræ *Præceps inſigne* ruinæ ?
Quo famæ aura levis ? *Famam Natura ſepultis*
Subtrahit, ignaróſque *inſignibus* eminus arcet ;
Det mihi *adeſſe bonis* defuncto Numen *amatis*,
Det vitâ ſine felle frui, ingenuóque receſſu ;
Jam ſatis eſt : neque plus vel amicos poſcere Reges
Præcharus vellem ipſe cliens. Traducimur eheu
Excidium in commune, & ad unam (æqualiter) omnes
Militiam Deus ipſe citat, nec cenſus, honóſve
Impetrare *rudem*, aut virtutis gratia poſſit
Sufficiat via tuta *citis mortalibus*, ævi &
Mitia fata brevis ; *niſi quos* induſtria fœlix,
Et vigor ingenii excuſſit (*Peregrine*) latebris,
Adque actus celebres, ac alta negotia fingens,
Non *ſibi*, ſed toti juſſit ſe impendere mundo :
His *ſapere alta* datum eſt, ego lenti (inglorius) otî
Illecebras, ego ſeceſſûs *nec inutile* munus
(Grandibus haud habilis) vacuâ ſectabor arenâ :
Quicquid id eſt ſtudii, (*ſit amor Genii ve, vel error*)
Turpiter haud cadimus, *magnóque Authore* levamur.

INclytus imprimis Abderitanus, & illa
Enthea vis velóxque animi, mallebat in arctis
Porticibus ſenuiſſe, ſolutæ & Palladis umbris
(Gratâ ſorte tegi : nec *Sors corraſáve damnis*,
Aut fuga ſervorúmve doli, depaſtáve meſſis
Turbavere quietum animum ; ſenſu abſita voto
Inſectantem uno : idcirco Sapientibus acer,
Judicióque ſagax, ſtolidæ male-ſanus & amens
Audierat Plebi, *Dominíſque* eviluit, (ingens
Riſor, & horridulus) quin *læſæ mentis* utriſque

Judicium

Judicium ſubiit, Deliria nempe movebant
Publica cenſori Diaphragma agitabile falſo.
Sic vixit *Populo* ingratus, deménſque, *ſibíque*
Sanus, & uſque placens; niſi cum puteálve moleſtum,
Actio conficta, & tractæ in *Septennia* lites
Diſplicuere, quibus *turbis* quò evaderet, altas
It peregrè in tenebras: Tum dixit ſplene protervo,
Ἐς κόρακας· Griphéſque animi, Tineæque peculî,
Temporis Harpyæ: veſtris *ſponte* exulo Regnis
Transfuga; nunc alibi noſtram exornabo Vacunam:
Quam mihi *Thraca* negat, requiem dabit *exterá* tellus
Gens vel agreſti *meâ* me ſervabit *Athene*,
Pontus erit mihi *Terra* placens. Hìc *Patria* vivam,
Hìc moriar; tumulo inciſis Epigrammate fatis.

Iſta *Mei* ſupereſſe velim, & monumenta *Meorum*;
Obſtruo jam ſcatebras; ſat *mea ſylva* viret.

FINIS.

BRITISH
7 DE 70
MUSEUM

FINIS